

De methodo concinnandi formulas medicamentorum libellus / Hieronymi Davidis Gaubii.

Contributors

Gaubius, Hieronymus David, 1705?-1780
Triller, Daniel Wilhelm, 1695-1782

Publication/Creation

Frankofurti ad Mœnum & Moguntiæ : Apud Franciscum Varrentrapp, 1751.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jwfrbwfb>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



24,143/A



X 29 ah

10
S.P.J.
no 97



43137

HIERONYMI DAVIDIS GAUBII,
Medicinae & Chemicæ in Academia Batava,
quæ Leida est, Professoris,

DE
METHODO
CONCINNANDI
FORMULAS
MEDICAMENTORUM
LIBELLUS.
EDITIO QUARTA CORRECTIOR.
CUM PRAEFATIONE NOVA
DANIELIS WILHELCMI TRILLERI.

Philos. ac Med. D. S. Reg. Maj. Poloniæ ac Electo-
ris Saxoniæ Consil. aul. in Academia Vitembergensi
Chirurgiæ & Pathologiæ Profess. Publ. Ord.
Facult. Med. Assessoris, atque Ill.
Acad. Scient. Bonon. Sodalis.



Francfurti ad Mœnum & Moguntiam
Apud FRANCISCUM VARRENTRAPP.
M D C C L I.

VENERANDO SENI,
JOANNI GAUBIO,
Poliatro Amstelædamensi, primum Patruo,
nunc & Socero suo,
HIERONYMUS DAVID GAUBIUS.

Vix exspectaveris, hodie quod ob-
venit. Toties, quā es, libe-
ralitate, anno vertente, me
meosve strenū cumulaſti, nihil vicissim a
me recipiens. Nunc & Tibi ego strenam
offerō: at quā divitiæ haud crescent: tri-
obolari modo Bibliotheca auctior erit libel-
lo, quem, dignioris impos muneris, Tuo
conſecro Nomini. Quæris: cur ita?
Titulos adspice, quibus Te adloquor:
Splendidiores enim, ut potuiffem, addere
nolui, ne obscurior eſſet facti ratio. Non
præſidium Fætui huic a Te peto, qui, ad-
versus neminem injuriosus, par a Corda-
tis mihi polliceor, reliquos temno. Ne-
que Favorem capto Tuum: hoc enim fruor
maximo, datā etiam in matrimonium
mihi Filiā Tuā, nunc unicā, ut pignore
carissimo, ejusdem certus. Quid tan-
dem? Monimentum ponere conor, quo

constet publico, quantum devenerer utrumque illud arctissimæ necessitudinis vinculum, quo & commune Genus, & Tuus in me Amor, tot tantisque documentis, maximè in conjugalibus meis votis, probatus, Tibi me adstringunt. Neque id, ut parvi forte ævi fuerit, spernes; cum aliud perennius, Tuisve in me meritis respondens, vires recusent. Quin & scio, solam Tibi, ut Optimo cuique, satis esse gratam acceptorum recordationem. Gratulor hinc Tibi, mihi gaudeo, Te quod, in quinti decimi ætatis quinquennii jam ferè constitutum exitu, eò superstitem servaverit usque Propitium Numen, id ut propositum exsequi mihi liceat; dum MAGNUM BOERHAAVIUM Tuo quem nomini heic jungere animus erat, votis maturius ereptum meis lugeo. Manum quietem temerè violasse nefas. Soli ergo Tibi fructus hic qualis cunque mei laboris cedit. Tu, ut publicam pietatis in Te meæ tesseram, comis accipe, viridique valens senectute, quod reliquum dederit D E U S, vitæ spatium felix vegetusque decurre!

Dedi Leidæ 17³¹₁₂38.



MEDICINAE TYRONIBUS

S.

Ex quo ad Medicinam faciendam animalium applicare coepi, inter cetera quidem maximè me torsit illa istius Operis pars, quæ Remedii inventi eam postulat descriptionem, ut & concinne respondeat Indicationi, & rite ab iis, id qui negotii sibi adsumserunt, preparari, ægroque apte adhiberi queat. Facile quippe videbam, non heic sufficere Generalia in hanc rem, quæ sola plerumque in Academiis addiscuntur; petenda esse ex singularibus, imò & singularissimis Aegri Remediique conditionibus, justam quæ heic determinationem figere possunt;

P R A E F A T I O.

non dari Medicamentorum Formulas ei-
dem scopo in universum aptas ; idemque
Indicatum aliis quandoque & aliis modis
formisque esse adplicandum, ut singulari,
circa quem solum Practicus versatur, ho-
mini prosit , satisfaciat. Notabam insu-
per, heic, si uspiam, usui esse Divi Senis
monitum : μηδὲν εἰκῆ, μηδὲν υπεροργῶν : si
quid enim in præscribendo Remedio teme-
rè, si quid perfunctoriè, positum fuerit,
facile Medicum scopo aberrare, utcunque
cæterum rectè collineaverit ; reliquum
omne, quod agit Practicus, solâ ferè spe-
culatione absolvi, juvare nihil, nisi præ-
scriptio adplicatoque justè Remedio velut
in aëtum deducatur ; tum demum finem
obtineri Artis, id si dextrè curatum fuerit ;
neque adeò ex iis, quæ animo conceperis,
sed quæ mandaveris chartæ, decerni ; esse
hinc rem, cùm Aegri, tùm Medici respe-
ctu, non levi periculo plenam. Nec mo-
lestiâ exemptum me comperiebam, si
quando, improbo conatu, memoriæ in-
primerem Formulas a Præceptoribus aliis-
ve fide dignis Authoribus concinnatas :
præterquam enim, quod puerile id moli-
men crederem, facile prævidebam, haud
mihi semper in Praxi occursumos casus,
quoad omnem conditionem iis geminos,
quibus illæ a suis Conditoribus fuissent ad-

P R A E F A T I O.

commodatæ, ideoque reddituram vel novas componendi, vel edocetas murandi, necessitatem. Extemporanea etiam, quam præceps in multis morbis occasio sæpe exigit, consuetudo autem plurimis in locis in universum quoque introduxit, Præscriptio, tum servilis jugi horror, obstabant, quo minus a me ipso impetrarem, ut ex aliis tantum sapere, aliorum exemplis semper inhærere constituerem. Neque placebat, quod Veterani, his in angustiis a me consulti, dictitabant, Experienciam totum hoc opus, ut arduum Tyroni videatur, reddi levissimum: timebam quippe, ne per eventus infelices, ipsasque mortes, & non reparanda famæ dispendia, eo me duceret demùm isthæc Magistra. Putavi ergo in id mihi prius, quam ad Praxin accederem, incumbendum esse, ut animo comprehenderem, quidquid de hac recerti ac legitimi a Medicinæ Antistitibus limitatum esset. Quare me dedi evolvendis omnibus, quæ adsequi poteram, Medicorum hoc super Themate scriptis, regulisque, quas ibi statutas inveniebam, generalibus comparandis ad ipsa Formularum exempla ab Optimis Practicis descripta. Quumque sic satis citò deprehenderem, regularum multas adeò esse instabiles, ut sæpius negligantur, quam observentur; alias

P R A E F A T I O.

verò etiam inter se pugnare ; exceptiones dari Regulis longè numerosiores , si quæ quotidie sub ipso Artis exercitio etiam a Peritissimis præscribuntur, conferas ; plurimos autem eorum, qui hac in parte Tyronum tædia lenire erant conati, sui velut oblitos, tanquam Magistros Magistris, non vero imperitis Tyronibus, scripsisse ; alios, brevitatis nimium studiosos, spissiores et iam nebulas mihi saltem obfundere : hinc eo consilii tandem perveni , ut in adversaria conjecerim omnes, quas de singulari quavis Formularum specie conditas inveniebam , Regulas , his dein junxerim , quotquot occurrebant , exceptiones , ac tum ex utrisque inter se collatis , facto moderamine , generalia , mihique visa clariora , deduxerim Theorematum , quæ post, in ordinem ad suos quæque titulos redacta , Encheiridion mihi exhibuere quod mentem manumque in Praxi exercenda dirigebat.

Sic enatum est, quod videtis, corpusculum. Neque id nunc publici juris facio, quod vel perfectius esse iis, quæ hac de re prodierunt haec tenus, vel nova aut ante inaudita continere, stulte mihi persuadeam. Imò verò fateor, paucissima in eo reperiri, si ulla , quæ aliis indicta sunt. Docet hoc candidè modò a me exposita ejus

P R A E F A T I O.

origo. Quodsi laudare vellem omnes, quorum e scriptis heic profeci; laudandi forent innumeri, &, paucis exceptis, fere omnes, quos datum fuit consulere: ut ideo quisque suum si hoc ex opusculo decerperet, literarum forte remansurum esset nihil. Unde & abstinui vel heic, vel in ipso opere, Authores allegare; ne vel fatigem numero, vel multam videar lectio- nem ostentare.


Hæc tandem unica fuit edendi occa-
sio. Quum Chemiam publicè in hac A-
cademia docendi muneri admotus, Sum-
mo suadente BOERHAAVIO, annuo
Cursui Chemicò subjungere adgrederer
Pharmaceuticum; non inutile fore vide-
batur, si, una cum Officinali Medicamen-
torum Præparatione, simul & Magistra-
lem exhiberem Auditoribus. Recurrens
ergo ad ea, quæ olim de hoc Themate
meos in usus collecta digeſſeram, inde,
ut sua cuique placent, haſi normam
materiemque dicendorum; ut generales
haberent regulas, qui me audiebant, ad
quas in exercitio, quod simul offerebam,
ſe conformare poffent. Quia vero exi-
guum temporis, quo cursus hic absolvı de-
hebat, ſpatium lentorem diſtationis non
permittebat; neque interim properatae
elocutionis impetu exposita animo distin-

P R A E F A T I O.

Etè satis inprimi poterant, ut domi re-
cocta Formulas ad datos casus ex arte
præscripturis usui essent; constitui tan-
dem hanc Meorum molestiam prælo le-
vare, putans sic magis me prodesse iis
posse. Id si obtineo, satis est. Si si-
mul & in alios boni quid inde redun-
dat, exsulto. Sin minus: laudabilis sal-
tem conatus conscientia pro solamine la-
borum est. Valete!

Scripsi Leidæ 17²⁹₁₂-38.





LECTORI BENEVOLO

DANIEL WILHELMUS TRILLERUS.
S.



MNES quidem probi & Artis
periti Medici inter alia plura,
debent

*Scire potestates Herbarum, usumque
medendi.*

Omnium inquam, præcipuum est officium, tot diversorum Remediorum in blanda miseræ humanæ Gentis solatia, divino beneficio, repertorum, vires, qualitates, usus, doses & pondera accuratissime nosse, omnemque Materiam sic dictam Medicam, quam longe lateque pateat, opibusque & nostri, & novi orbis præstantissimis abundet, exactissime perspectam ac exploratam habere.

Inter istos tamen, quod merito dolendum, paucissimi hodie reperiuntur, qui improbo labore & acerrimo studio, tantam cognoscendi & judicandi faculta-

P R A E F A T I O N O V A.

tem consequuti sunt, ut ex ista immensa
fere Medicamentorum farragine, ea se-
ligere valeant, quæ non repugnante ipsa
rerum Natura, scite inter se componi,
& in ægrotorum commoda, sine moro-
so fastidio, præscribi & propinari queant.

Inde fit, ut sæpius in Officinis Phar-
maceuticis, ejusmodi ineptæ ac dissonæ,
& circa res ipsas, & rerum pondera,
formulæ medicamentariæ a Medicis
haud exigui quoque Nominis, præscri-
ptæ deprehendantur, quæ vel ipsis for-
didis pharmacopolarum pueris, qui ru-
gosum piper & pallentis grana Cumini
tundunt, resonabilem Cachinnum excu-
tiunt, dum nempelongo rerum usu, me-
lius, ipsis illis Medicis, didicerunt, quæ
medicamenta congenerti natura, blandam
societatem in compositione, ineunt, &
quæ contra, dissociabili prorsus indole,
intestina quasi lucta, adversus se insur-
gunt, nec ullo amico & constanti fœde-
re placide conjungi possunt. *Quia Cor-
pore in uno*

*Frigida pugnabant Calidis, humentia
siccis,*

*Mollia cum duris, sine pondere haben-
tia pondus.*

P R Æ F A T I O N O V A.

Fœdas igitur has maculas ut Medicis abstegarent, & Medicinæ in primis studiis māture iter monstrarent certum ac inoffensum, quomodo secundum justas Artis salutaris ac pharmaceuticæ Regulas, concinnæ, utiles, visuque, & sapore etiam, quantum nempe pote, jucundæ Remediorum formulæ præscribendæ essent; ab omni sane ævo, præclari, docti ac in Arte periti Medici operam serio seduloque dederunt, ex quibus pæne innumeris, nominasse ac laudasse jam sufficiat *Gorræos*, *Bauhinios*, *Rondeletios*, *Mynsichtos*, *Blasios*, *Morulos*, *Banzeros*, *Renodæos*, *Schenckios*, *Weckeros*, *Wedelios*, *Frauendorfferos*, *Mercklinos*, *Junckenios*, *Junckeros*, aliasque plures, quos tamen fere omnes & concinno naturalis Methodi ordine, & judicio acri, & selectissimo Remediorum præstantissimorum apparatu, & scita Compositionis elegantia, & Monitis denique ac Regulis practicis ubique prudenter adjectis, longissime nuper superavit Vir Artis juxta ac Doctrinæ laude inclutissimus, **HIERONYMUS DAVID GAUBIUS**, Med. & Chemiæ in Academia Batav. Leidensi Professor longe ce-

P R Æ F A T I O N O V A.

leberrimus, diligentissimus quondam
Magni nostri eheu desideratissimi B O E R-
H A A VII discipulus, nunc ejusdem in Ca-
thedra Medica Successor dignissimus,
edito paucis abhinc annis, elegantissimo
& optimæ frugis plenissimo Libello, *de*
Methodo concinnandi Formulas Medicamen-
torum.

Qui quum ob summam præstantiam
& utilitatem avidissima ex merito quæ-
rere tur, & e Tabernis librariis certatim
peteretur; factum est, ut brevi, in his
oris nostris, ejusdem Exemplaria aut
plane deficerent, aut, ubi non defice-
rent, justo tamen carius divenderentur.

Quare ut huic incommodo tempesti-
ve obviam iretur, pro acri suo bonas
Literas provehendi studio ac ardore,
mox consilium secum iniit celeberrimus
per Europam, Bibliopola Francofurten-
sis, FRANCISCUS VARRENTRAPPIUS,
Amicus noster honoratissimus, ut opus-
culum hocce prorsus egregium, Medi-
corum in gratiam, nitidis formis accu-
rate descriptum denuo publicaretur,
atque sic modico ære in posterum omni-
bus foret magis parabile.

Quod suum salutare consilium quum

P R A E F A T I O N O V A.

mecum laudante valde & approbante,
his ipsis Nundinis vernalibus Lipsiensi-
bus, benevole communicasset, meque
ex veteri constantis Amicitiae Lege, ro-
gasset, ut aliquid, ex consueto more,
præfarer, aut monerem, si quid forsan
in promtu foret; imperiosis Amici ro-
gantis precibus confestim parui; ideo-
que magis, quod hic ipse eximus plane
Libellus mihi met ipsi jam dudum miri-
fice prorsus placuisse, atque publice,
ac privatim & Medicis practicis & Au-
ditoribus in primis meis, enixissime per
me commendatus merito fuisset. Quod
vero simul adderet, ut aliquid mone-
rem, aut emendarem, notissimo illo
ipsi statim respondi versiculo poëtæ in-
genio suo miserrimi:

In toto nusquam Corpore menda fuit.

Quis enim quæso, sanus & verecun-
dus, aliquid in istis temere notaret aut
mutaret, quæ Vir prorsus incomparabi-
lis, & Medicus omni venerabilis ævo,
prudentissimus in quam, & Artis nostræ
omnium peritissimus, BOERHAAVIUS,
ipse tradidisset & in publica commoda
quondam evulgasset? Cujus quippe ple-
ræque sunt istæ Remediorum formulæ,

P RÆFATI O N O V A.

quibus ceu totidem gemmis, aut stellis,
merito exornavit præstantissimum suum
opus Celeberrimus GAUBIUS: in pri-
mis, quum ipse ille Vir divinus ita sapien-
tissime alloquutus sit Auditores suos, in
præfatione aureo suo de Materie medica,
Libello, præfixa: *Estis vero idonei Vos*
testes, quanta Circumspectione utar, quam
sæpe tædiosafere ad fastidium usque, mi-
nutiarum Consideratione, odiosus sim,
priusquam vobis Titulo Medicamenti,
vel minimum quid laudare ausim: pul-
chre gnarus, nihil dari, quod ubique bo-
num: contra vero id, quod hac rerum
facie, salutare fuerat, mutata conditio-
ne, perniciosum sæpe deprehendi.

Verba profecto cedro & adytis digna,
in omnium rectioris judicii Medicorum
mentes altissime semper demittenda, &
in ipsa præsertim Medicina apud ægro-
tos facienda, nunquam non sedulo ex-
pendenda & in usum vocanda. Si quid
tamen forsitan sit, quod Tironum potis-
simum nostrorum in gratiam, moneri
debeat; versatur id unice circa largio-
res paulo doses Remediorum istorum
generosiorum, quæ & alvum ducunt,
& vomitus cient, quibus nempe ob-
sum-

P R A E F A T I O N O V A.

summum Vitæ & Sanitatis discrimen, in quod, ubi modum excesserint, miseri ægroti facile adduci possunt, ut mille funestis exemplis affatim constat, maxima & prudentissima cum Circumspectione semper utendum est, uti omnes probi doctrique Medici vere censem, & cum illis ipse ill. Gaubius.

Quum igitur in concinnandis Catharticorum & emeticorum Remediorum formulis, immortalis noster Boerhaavius potissimum, ut videtur, respiceret suorum Batavorum torosa, quadra-ta & succosa corpora, neque torpenti desidia, neque furenti luxuria adhuc vi-tiata; factum inde, opinor, fuit, ut paullo liberaliorem istorum potentiorum Medicamentorum dosin ac mensuram illis jure indulgeret, quoniam scilicet dictis ex Causis, valentiore non nihil sti-mulo indigerent: Unde ubique fere præscribit Tartarum sic dictum emeticum ad Grana quinque, quod & du-dum fecerat Mynsichtus, item Resinam Jalappæ, ad Grana decem; porro in Morfulis purgantibus, per statas vices sumendis, Scammonium ad Drachmas duas, & Radicem Jalappæ ad Drachmas

P R A E F A T I O N O V A.

tres, in aliis quoque Resinam ejusdem ad Drachmam unam cum dimidia: in Rotulis pariter purgantibus, Mercurium dulcem ad Scrupulos quatuor, & diagrydium ad Drachmam unam: & rursus, in Haustu aquam inter cutem purgante, Scammonium Syriacum ad Grana quatuordecim, ut alia id genus plura in hoc eximio Libello passim occurrentia jam studio taceam, quærentibus per se facile obvia & conspicua.

Quæ sicut robustiora & ab omni fœda labe intactiora Corpora nullo pæne negotio, & singulari levamento, ferre posse, lubens concedo; ita e contrario, in fluxioribus & effæminatiōribus Terræ nostræ Corporibus eadem tuto semper, & sine justo nimiæ ac præcipitis alvi exinanitionis, viriumque dejectiōnis metu, in usum perpetuum advocari posse, experientia ipsa, aliorumque exemplis probe edocetus, dubito non nihil, & anceps hæreo.

Efficax enim satis nobis est, ut notum, Remedium vomitorium ex tribus tantum, aut ad summum, quatuor Tartari emetici granis paratum: sicuti septem, aut octo Grana Resinarum Jalap-

P R A E F A T I O N O V A.

pæ & Scammonii, item & Diagrydii, plerumque plane sufficiunt ad alvum potentius subducendam.

Quare sub hoc nostro Cœlo, vix auderem, sequentem pulverem purgantem mollioribus nostris hominibus, pro una dosi, præscribere: Rec. Resinæ Jalapp. Grana sex, Diagrydii Grana septem, Stibii diaphoreti non abluti Grana viginti quatuor; neque illum; Rec. Tartari emet. grana quinque, Resinæ Jalappæ grana tria: multo minus autem istum: Rec. Mercurii dulcis grana quindecim, Diagrydii Grana duodecim, & quæ sunt similia plura, passim inventienda.

Refert enim, judice sapienter Celso, & in his ipsis valentioribus præsertim Remediis exhibendis, qualis sit morbus, quale Corpus, quale Cœlum, quæ etas, quod tempus anni: Nam differunt quoque pro Natura locorum genera Medicinæ, & aliud opus est Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Gallia, &c. aliud, addo, in Belgio, & aliud in nostra Germania, & speciatim, Saxonia. Id quod etiam pulcherrime observavit & prudenter monuit ipse experientissimus

P R A E F A T I O N O V A.

noster *Gaubius*, in Cap. *de formularum
Dotibus generalibus*.

Verum hæc omnia per se quidem neutri-
quam notanda, quod a me absit quam
longissime, ut jam serio affirmavi; sed
salem probe observanda, distinguenda,
& ad diversas regiones, diversasque ho-
minum naturas, ætates, vires & con-
ditiones prudenter accommodanda &
attemperanda, eum præsertim in finem,
haec tenus a nobis in medium allata fue-
runt, ne scilicet tantorum virorum au-
toritas incautos legentes, in primis au-
tem rerum ponderumque ignaros adhuc
Tirones, induceret, ut nempe uno om-
nes, quod dicitur, Calopodio temere
calcearent, aut ad unam Regulam Mo-
dulumque omnium mensuras staturas-
que indiscriminatim ac promiscue exige-
rent, sed de his haec tenus.

Quoniam autem nonnihil adhuc va-
cui spatii hic superesse video, haud abs-
re, ut arbitror, erit, quædam non pror-
fus aliena, Lectorum quidem pace, his
ipsis, data commoda occasione, Coro-
nidis quasi loco, subjungere, in primis,
quum judice poëta, stulta sit clementia,
perituræ parcere Martæ.

Nimirum Capite de *Epithemate sicco*,
Sacculorum quoque Arena repletorum,
inter alia plura, meminit Celeberrimus
Gaubius, cuius eximii apud Veteres Re-
medii externi, in Morbis præsertim pi-
tuitosis, humidis ac rheumaticis, ut &
Membris exsuccis & frigore quasi præ-
mortuis, frequentissima occurrit, ut
notum, mentio, apud Celsum, Plinium,
Cælium Aurelianum, Theodorum Pri-
scianum, Gellium, Aretæum, Gale-
num, Diascoridem, Æginetam & alios
plures; quibus haec tenus additus quoque
fuit a Suetonianis Interpretibus, sequens
in Vita Augusti, Cap. LXXX. Locus:
Coxendice, & femore, & crure sinistro
non perinde valebat Augustus, ut sæpe
etiam inde claudicaret: sed Remedio Ha-
renarum & Arundinum confirmabatur.

Verum ego haud ita pridem, singu-
lari Scripto, manifestissime & liquidissime,
opinor, ostendi, nihil quidquam
huc facere arenas istas, nec bene con-
jungi posse harundines ac arenas, ne-
que hæc sive seorsim, sive conjunctim,
sumta, quidquam conferre, ad tol-
lendam, sive corrigendam Augusti
Claudicationem; atque hinc potius per-

P R A E F A T I O N O V A.

quam probabili conjectura legendum
esse: Sed *Remedio Habenarum & Arun-*
dinum confirmabatur.

Quam ego Emendationem tot inex-
pugnabilibus rationibus ita undiquaque
ibidem circummunivi, ut Vir quidam
apud Amstelodamenses, Græce doctissimus,
& Criticus felicissimus ingenio-
sissimusque, multis jam eruditissimis
Scriptis in Republica literaria celeberrimus,
ita nuper ad me sua sponte scri-
pserit: *Placuit mirum in modum certissima tua in Suetonium Emendatio, quam plurimis meis redemptam vellem, quæque nemini, nisi qui omnem pudorem decoixerit, unquam displicere potest.*

Displicuit tamen illa adeousque præ-
ter omnem opinionem, feroculis qui-
busdam Grammaticis, alienæ laudis im-
patientibus, suæ autem solius nimirum
cupidis, nihilque inde, nisi sua, lau-
dantibus & admirantibus, ut, quod
ipsi serio non auderent, bonum quen-
dam hominem subornarent, nec latinis,
multo minus autem Græcis Literis imbui-
tum, & in Arte in primis critica Veterumque lectione hospitem plane atque
peregrinum, cui imbelliora plum-

P R A E F A T I O N O V A.

beaque sua tela aduersus me vibranda committerent. Temerario igitur & ridiculo prorsus ausu, alienis armis & pinnis instructus, (ut omnes norunt, quicunque ipsum norunt,) repente contra nos prosiluit in Campum Martium, seu arenosum potius, novus iste Mirmillo, mox suæ temeritatis pœnas daturus, nostramque illam Conjecturam haud plane degenerem, verbosa potius loquacitate, quam argumentorum pondere, satis quidem modeste, subdole tamen, & ex alieno instinctu inflatuque enimis veruili- ter, impugnare conatus est. Sed conatus est tantum: Nihil enim prorsus novi ibi attulit; sed crambem potius centies jam coctam, ad fluentem usque Lectorum nauseam, recoctam apposuit, dum omnia ibi prolata magno præsertim Reinesio debet, qui tamen & ipse a partibus nostris stat, paucaque alia ad rem ipsam nihil plane pertinentia addidit, quæ cariosi illius & male contignati Machinamenti Fabricatores & Rectores ex paupercula sua penu clanculum ipsi suggererant.

Calidas igitur Arenas, in controverso Suetonii loco, satis frigide defendit, sicque tandem, intemperiis quasi exagita-

P R A E F A T I O N O V A.

tus, exclamare haud erubescit: *Quid igitur, obsecro, Opus habenis? quid ferulis? quid incantationibus? quid aliis conjecturis?* quum certo certius sit, *Augustum ex articulari morbo, Coxendicumque præser-tim dolore, claudicasse, & appositu Are-næ calidæ & illitu Medicamenti, ex Arun-dinum Radice, cum Aceto, parati, confir-matum fuisse.*

Bone Deus! quanta audacia! quanta temeritas! quanta ubivis ridicula fingen-di pro lubitu, licentia! Hæc nempe omnia certo certius scit divinus ille & non vul-garis homo, aut hominum aliorum reso-nabilis Tubus stentoreus. Sed ubi, ob-secro, Suetonius meminit Arenæ calidæ? ubi tritæ Arundinum Radicis? ubi deni-que, ut alia jam taceam, alibilatius per-sequenda, Aceti? Ego sane nec in hoc Suetonii loco Acetum invenio, nec in pe-ñore vappidi Censoris. Sic nempe novi Critici philosophici veteres Auctores perbelle explicant, ut mille inania fi-gmenta præsupponant, priusquam con-tortam suam accoactam Opinionem con-firmare audeant.

En itaque perquam elegantem Reme-dii novi plane ac inaudit i contra Claudi-

P R A E F A T I O N O V A.

cationem, Compositionem dignam profecto, quæ huic ipsi egregio de Formulis Libello inferatur, scilicet: Rec. Radicum Arundinis cum Aceto tritatum, & Arenarum calidarum q. s. Misce simul & impone claudicanti femori, ut Claudicatio tollatur: probatum est: Risum teneatis amici!

Sed hæc saltem in transitu: Alibi de his ex instituto plura; jam enim non vacat, nec decet, his minutiis diutius immorari; præsertim quum mihi perinde sit, sive quis in Suetonio, *Arenas*, legerit, sive *Habenas*, sive denique *Avenas*, sive alio modo.

Neque enim Quæstio hic est de finibus imperii, aut de salute Reipublicæ, neque arduum consilium hic initur de delendo Catilina, aut capiendo Jugurtha; sed lis potius agitatur nulos plane habitura triumphos, de tribus Capellis, aut Capillis, immo syllabis, quam solvendam atque discutiendam proinde lubentes relinquimus minutioribus ingeniis, Criticisque ignari sui otii nimium prodigis, ut nempe habeant, quod agant, & in quo strenue occupen-

P R A E F A T I O N O V A.

tur, ne situ & squalore plane obtorpescant.

Sed ohe! jam satis est. Tu Lector benevole, nunc vale, atque hoc utilissimo ac doctissimo Libello in tua commoda, utere; imo ita potius semper bene vale, ut isto ad amissam sanitatem recuperandam, nunquam, aut certe rarissime, indigeas; mihi autem, ut hucusque pulchre fecisti, favere perge! Scribebam raptim, Wittebergæ, 7. Maji A N N I
M D C C L.



ELENCHUS CAPITUM.

Regulæ Generales ante Præscriptionem Formularum observandæ.	Pag. 1.
De Formularum Dotibus Generalibus.	4
Externis: Inscriptione, Initio, Ordine, Modo designandi Ingredientia & Mensuras, Subscriptio, Signatura.	13
Internis.	13
Formula Simplice: hujus Dosi, Quantitate Generali.	24
Formula Composita: hujus Partibus, Basi, Adjuvante, Corrigente, Constituente; barum Proportione mutua; Dosi; Quantitate Generali; Qualitatibus, Consistentia, Colore, Odore, Sapore, Virtute Medicata.	32
De Formulis in Specie.	34. & seq.
De Formulis Internorum Medicamentorum.	§2
De Pulvere Interno.	§2
Bolo.	66
Electuari.	73
Eclegmate.	79
Pilulis.	84
Trochiscis internis.	95
Electuari solidi.	102
Rouulis.	108
De Infusis internis.	113
Decoctis internis.	132
Succis Expressis.	148
Emulsis.	160
Mixturis Internis.	174
Zulapio.	174
Mixtura Media.	184
Mixtura Contracta.	194
De Formulis Medicamentorum Externorum.	201
De Formulis Externis Communibus.	201
De Injectione.	201
Adspergine.	208
Epithemate in genere.	212

<i>Epithemate Liquido.</i>	212
<i>Sicco</i>	223
<i>Cataplasmate in genere.</i>	232
- - - - <i>Cocto.</i>	233
- - - - <i>Crudo.</i>	242
<i>Balneo in genere.</i>	248
<i>Humido.</i>	248
<i>Vaporoso in genere.</i>	255
<i>Vaporatione humida.</i>	256
<i>Suffitu.</i>	262
<i>Emplastro.</i>	271
<i>Cerato.</i>	248
<i>Unguento.</i>	287
<i>Balsamo Odorato.</i>	296
<i>Linimento.</i>	305
<i>Epispasticis.</i>	312
<i>De Fricio.</i>	314
<i>De Formulis Externis Propriis.</i>	315
<i>De Formulis Capiti dicatis.</i>	316
<i>Cucufa.</i>	316
<i>Frontali.</i>	316
<i>Collyrio.</i>	319
<i>Nasalibus in genere.</i>	322
<i>Errhinis.</i>	323
<i>Odoramentis.</i>	327
<i>Stomaticis in genere.</i>	330
<i>Dentifricio.</i>	330
<i>Apophlegmatismo.</i>	332
<i>Gargarisme.</i>	340
<i>Scuto.</i>	344
<i>Clysmate Intestinali.</i>	344
<i>Suppositorio.</i>	355
<i>Pesso & Nescali.</i>	363





HIER. DAVIDIS GAUBII

AD

Methodum Concinnandi Formulas Medicamentorum

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.



I.

FORMULA vocatur Medicis, Remedii Pharmaceutici, ex arte inventi, quoad materiem & formam, rationalis consignatio, juxta quam id a Pharmacopœo aptè parari, atque ægro commodè & fructuosè applicari potest.

2. Illa autem Medicinæ Practicæ pars, quæ tradit regulas, secundum quas Consignatio ista (1) perfici debet, *Methodus* audit *Concinnandi Formulas*.

3. *Materiem* Formulæ (1) suppeditat T'λη dicta iatqñ, tam naturalis, quam factitia. *Formam*, quæ varia est, diversæ, tam in ægro, quam in materie selecta, obviæ conditiones determinant: ut infra patet. *Finis* est legitima præparatio atque

A

applicatio illius auxilii, quo Indicationi sūæ satisfacere conatur Medicus.

4. Complectitur ergo Methodus isthæc (2) ultimum eorum, quæ Medico artem suam exercenti agenda sunt. Ad eam tendit, quidquid ferè in aliis Disciplinæ Medicæ partibus docetur. Hæc demum Fine suo beat Artificem.

5. Unde Necessitas, Utilitas, & Nobilitas ejus abunde patent.

6. Dividitur Formula (1) in *Officinalem* & *Magistralem*: quarum illa Remedium spectat in Officinis Pharmaceuticis ad usus futuros parandum atque asservandum; hæc vero ex tempore conficiendum & applicandum. De Posteriore præprimis heic agetur.

7. Hæc (6) ut ex arte præscribi possit; supponitur prius cognita

α. *Indicationum Doctrina*, utpote instruens Medicum, an, quid, tum per quæ, & quali modo, tempore, ordine &c. applicata Instrumenta sit agendum.

β. Universa Triplicis Regni *Materies Medicæ*; quatenus hæc præscribendæ Formulæ Materiem (3) præbet: præprimis tamen illa, quae ibi locorum, ubi Medicus Praxin exercet, præsto haberi potest.

γ. Tandem & *Pharmacia*, hujusque omnes operandi modi, atque Effecta, tam simplicia præparata, quam composita: illos

enim dirigit, his utitur, cum Formulam præscribit Medicus.

8. Nec sanè superficiaria saltem, ut vulgo occurrit, binorum posteriorum ($\gamma.\beta.\gamma.$) heic requiritur cognitio. Qui enim Pharmacopœo dabit leges ignarus ipse agendorum? Quomodo delectus fieri cum ratione potest rerum ignotarum? Quo fundamento effectus applicarorum prævidebit, horum natura quem & vires latent?

9. Ex quibus ($7\&8$), collatis ad (4), primum est colligere, non adeo, ut fertur, levis esse operæ atque exigui temporis negotium, cuius heic regulas, pro virium modo, exhibere adgredimur. Facilitatem tamen dabit exercitatio justo doctrinæ ordinis juncta.

10. Supponentes igitur aliunde satis cognita, quorum scientia ad rationalem Formularum Præscriptionem addiscendam in antecessum requiritur ($7\&8$), partiemur materiem dicendorum in tria summa Capita: quorum prius, specie *Introductionis*, succinetas dabit Regulas, Artem hanc exercituro observandas; alterum *Generales* sistet *Formularum Dotes*; tertium exponet ea, quæ ad *Singulares Formularum Species* pertinet.

REGULÆ GENERALES

*Ante Præscriptionem Formularum obser-
vandæ.*

11. **M**edicus, Vir prudens, præscribat nihil, nisi cuius sufficientem queat reddere rationem, cum requiritur: hinc nunquam tumultuario, sed semper ex Indicatione prius rite deducta, agat.

12. Ante omnia ergo justa methodo determinet, an oblato in casu aliquid agendum incumbat.

13. Unde, si vel cognitum Naturæ solius ad morbi propulsionem sufficiens robur, vel absolute mali immedicabilitas, vel prævisum ex morbi curatione pejus nasciturum malum, vel dubia haec tenus morbi indoles &c. agendum nihil dictant; probum est a præscriptione abstinere: ne vel noceatur ægro, vel is sine necessitate emungatur.

14. At quum plerisque durum sit, a Medico penitus destitui; aliquando etiam ignominiosum, artis prodere imperfectionem; hinc, si conditio ægri fert, præstat non nunquam, in dictis casibus (13), præscribendo ejusmodi, quæ dum non profundunt, quoque haud obsunt, in speciem saltem aliquid agere. Habeat hunc in finem Medicus familiares sibi formulas quasdam, ex inertioribus conflatas, Emulsiones, Mixturas, Pulvisculos inefficaces, &c. quibus

nihil effecturis tranquillum reddat ægrum, qui sæpe mavult pia hac fraude decipi, quam prognostico relinqu. Id, quod vel maximè in Gravidarum ægritudinibus, Virginumque & Mulierum morbis dubiis, notandum.

15. Si vero omnino agere jubet Medicum Indicatio; jam porro quid, per quæ &c. sit agendum determinare convenit: quorum utrumque per eam ipsam Indicationum doctrinam, quam heic supponimus cognitam, invenitur: unde eò allegantes Tyronem, nonnulla saltem, proprius ad nostrum institutum pertinentia, nunc subjungemus.

16. Finis primarius Artis, tuta nimirum, cœta & jucunda curatio, semper ante oculos versetur Medico; ut ad hunc omnes actiones suas, quo usque fieri potest, dirigat.

17. Eligantur hinc Remedia efficacia, & scopo consequendo maximè appropriata, tam ratione materiæ, quam formæ.

18. Sint tamen simul ejusmodi, quæ tutto, sine periculo, exhiberi queant: quamvis, in casibus desperatis, nonnunquam aliquid tentare liceat; modo id fiat cum iudicio, dubiique eventus prædictione.

19. Nova ideo, nondum probè explorata, ne adhibe, si aliis idem præstare possis: sin minus, utere illis summa cum prudenter; ne famæ incurras periculum. Au-

6 REGULÆ GENERALES.

dacia sœpe magis, quam ignorantia, invisi-
sum reddit Medicum.

20. Effœta, & absoleta, facile per mo-
ram corruptibilia, si potes, cave, ne nau-
seam noxiamve ægro parias, aut saltem ef-
fectu frustreris. Unde hoc respectu præ-
stat, cæteris paribus, ex officina Pharma-
ceutica celebriore Medicamenta deprome-
re; quia distractio ibi celerior frequentio-
rem exigit renovationem: quamvis interim
bona fides atque peritia Pharmacopœum
magis commendent.

21. A Draſticis abstinentum, si mitiora
ſufficient: ſin minus, dentur circumſpectiſ-
ſime: id quod vel maxime animadverten-
dum in ſubjectis debilioribus, aut valde
ſensibilibus; ne vehementiæ Remedii ſuc-
cumbant in Artis Artificiſve opprobrium.

22. Quæ diſſicilioriſ ſunt præparationiſ,
vel exhibe propria manu confecta, vel non
præſcribe; niſi de fide & dexteritate Phar-
macopœi certus fiſ.

23. A Pretiosioribus tibi tempera, ſi mi-
nus cara ejusdem efficaciæ præſto ſunt: quod
plerumque obtinet. Ditiorm interim
luxui heic dandum aliquid; utpote qui ſæ-
pius ex pretio vim Remedii æſtimant.

24. Exotica haud temere Indigenis ante-
habeto. Præstat his uti, ſi ſcopo ſufficient:
minus enim fraudibus & corruptioni ob-
noxia ſunt, quæ domi naſcuntur.

25. Quæ nomine, sapore, aliisve qualitatibus, in vulgus nota sunt, aut minus usitato sub titulo, aut aliis mixtis recta praescribere aliquando prudentiæ est; ne vel horreant ea ægri, vel tanquam nihil præstitura aspernentur.

26. Satius est consuetum, quam inconsuetum, dare Medicamentum: id quod circa Emetica, Purgantia, Opiata &c. præprimis locum habet,

27. Ingrata, nauseosa, molesta, quo ad fieri potest, vitentur, aut saltem parciore quantitate cum aliis remixta abscondantur artificiosè. Praestat nullum, quam tale exhibere Remedium, a quo Natura abhorret: cuius regulæ præprimis in Fœminis delictioribus, Infantibus &c. ratio habenda.

28. Hinc & ægri Idiosyncrasiam, ratione singularis cuiusdam Pharmaci, aliquando expiscari convenit; quippe quæ Remedium, etiam cæteroqui maxime appropriatum, nonnunquam inutile, imò noxium reddit: licet interim sæpe imaginaria potius, quam nativa, sit.

29. Simplicitati quam maxime in praescribendis Remediis studeat Medicus, nec adeo molem aut numerum, sed concisam brevitatem, non pompam, sed efficaciam affectet. Unde ex immensa Materiæ Medicæ sylva non quævis promiscue congeren-

da, sed probatorum saltem delectus habendus.

30. Junior tamen Practicus, nondum fama florens, seculi, loci, hominumque, inter quos degit, moribus atque opinionibus, quoisque scopus ejus permittit, tantum sese accommodet; ut, aliunde minus notus, hac sibi via interim existimationem comparet. Veteranus, aut in Praxi confirmator, securè demum talia vilipendit.

31. Nativa Præparatis, Simplicia Compositis, præferantur, si utrorumque virtus eadem est. Præparatio atque Compositio, præterquam quod ex se aliquando male plus, quam boni, adferant, insuper & a Pharmacopœi fide ac dexteritate, nonnunquam minimè laudandis, dependent, Simplicium contra genitrix est Natura, bona semper, sibiique constans.

32. Uti universæ Materiæ Medicæ notitia utilis est Medico; sic illa præprimis accuratius requiruntur cognita, quæ in Pharmacopœis loci, in quo praxin exercet, prostant: ne talia præscribat, quibus carent Officinæ. Qui error facile corrigendus foret; nisi Pharmacopœus quandoque sibi met ipsi arrogaret licentiam, inconsulto Medico, aliud pro alio substituendi.

33. Porro, præter vires atque doses efficaces, varias itidem Medicamentorum appellationes, usitatas, scire convenit: ne

idem Remedium, eadem in Formula, variis sub nominibus sæpius præscribatur. Disce hinc generales titulos, quibus plura quandoque singularia, compendii ergo, simul insigniri solent, ex *Morell. Meth. præscr. Form. in Prolegomenis.*

34. Tempora etiam, quibus Herbæ & alia magis minusve vigent, aut acquiri possunt, memoria teneantur; ne Autumno vel Hyeme desiderentur recentia, quæ æstate dudum emarcuerunt.

35. Variæ itidem variorum tam simplicium, quam cooperatorum, consistentiæ gnarus sis; ne formam alienam, aut mensuram impropriam, præscribas.

36. Principia atque mutuas Medicamentorum ad se invicem, & ad Instrumenta, quibus præparantur, habitudines nisi ex Pharmacia rationali didiceris, absurdissima, & vel Pharmacopœi famulo risum moventia, utinam nec ægro noxia! quandoque in chartam conjicies.

37. Officinalium Compositorum ingredientia noscito; ne vel ex tempore componda mandes, quæ jam composita prostant; vel officinalibus præscriptis talia addas, quæ ipsorum compositionem jam ingressa sunt: quamvis posterius aliquando postulet Indicatio.

38. Nec congeras in unam Formulam plura, quæ, licet nomine, origine & præ-

paratione diversa sint, prorsus tamen ejusdem sunt naturæ & efficaciæ: perinde enim est, ac si peccares contra (33.).

39. Una quæ Formula commode comprehendи possunt, haud, præter necessitatem, in plures dispescito. Tempori interim atque opinioni hac in re subserviendum (30.): sunt enim, qui paucitatem Receptarum longe ferunt difficilius, quam numerum nimium.

40. Contra haud continentur in unam eandemque Formulam, quæ simul aptè & sine mutatione incongruâ uniri, aut mista commodè adhiberi nequeunt: id, quod circa Olea meraca, Balsama liquida, Pinguia, cum aquosis exhibenda, tum alia sese mutuo destruentia &c. quorum postea mentio fiet, præprimis notandum.

41. Ideo nec singulis, sed urgentibus saltem, symptomatibus oppone Remedia: effecta enim Morbi, hoc hujusve causa succisis, sponte cessant, quæ nonnunquam adeo diversa sunt; ut nimis opposita ad sui sublationem requirant.

42. In Morbis, aut symptomatibus, maximè urgentibus, promptissimè parabilia exhibeto; ne occasio præceps subterfugiat; aut Pharmacopœus festinando peccet.

43. Si indicata Remedia in quamcunque Formulæ speciem commode redigi possunt; ægrum interroga, quamnam præ reliquis

amet magis, aut horreat, cuinam adfuevit, cui minus? Artem sic teque ipsum commendabis, & lætiorem reddes præscripti usum.

44. Nec tamen, palato ægri dum studes, Morbi naturam, vim, symptomata, & si qui forte alii in ægro morbum primarium comitantur affectus, obliviscere. Non omnes omnis fert morbus Formulas. Difficili Deglutione laborantem Bolis, Pilulis &c. ingerendis malè torseris &c.

45. Quin Medicamenta etiam non omnia omnibus sunt Formulis accommodata. Sudorifera formam amant liquidam, Absorbentia siccam, Fœtida, nauseosa, Pilularum, & sic porro: prout in singularibus Formularum historiis postmodum indicabitur.

46. Ætatis quoque ratio habeatur in determinanda Formulæ specie. Infantem si externis æquè facile sanare potes, internis ne vexato: si minus, abstine saltem a Pilulis, Bolis, & similibus.

47. Temperamenti quoque varietas aliam quandoque & aliam postulat Formulæ speciem. Siccis liquida, Humidis sicca magis quadrant: quamvis interim, si priorum (43.ad 46.) aliqua huic conditioni obstituerint, illorum potior sit ratio.

48. Quæ peregrè mitti, per longa itinera circumferri, aut quotidianos ad usus in

pera gestari debent, Medicamina, quo usque fieri potest, in maximè compendiosas, diutissimè conservabiles, facillimè portatiles redigantur Formulas.

49. Si ex præscripto Medicamento melius se habet æger, ejusdem usus continuandus est; donec aliud exigat Indicatio: neque enim sine ratione ullam facere mutationem decet. (11).

50. Interim, manente eadem Indicacione, variare quandoque Formulas, & ingredientibus alia substituere æquivalentia convenit; ut viribus eadem diversâ saltem sub facie exhibeantur: quod in morbis Chronicis, ægrisque morosioribus, præcipue expedit; ne longior eorundem usus fastidium moveat, aut in consuetudinem abeat. Quin & suam sic dexteritatem, Artisque opulentiam, ostendit Medicus.

51. Ubi autem datum Remedium non juvat; haud pertinaciter in eodem perstandum, sed aliquando, vel ex parte, vel in totum, mutandum pro Medici perspicacia. Si vero & noceat; prorsus inde abstinentendum: a juvantibus enim & nocentibus præcipua Indicatio.

52. Tandem, uti Medicus nunquam, nisi serio intenta mente, præscribere Remedium debet, ita nec præscriptum manu mitat, nisi prius sedulo revisum; ut certus sit clare expressa & bene distincta esse omnia.

Ars præparandi Medicamenta, abusu pessimo, hodie tyronibus ferè, aut amanuensibus, sæpè imperitis, sæpè incuriis, commissa, periculi interim, uti fructus, plenissima, à Medico prudente, sibique & ægris suis consulente, hanc omnino accurationem reposcit.

DE FORMULARUM DOTIBUS
GENERALIBUS.

53. PROXIMÈ de Formulis in genere actu-
ri, harum *externas* priùs, dein & *in-*
ternas Dotes, omnibus communes, consi-
derabimus.

54. EXTERNAS voco, quæ vel ad orna-
tum faciunt, vel ad scriptionis compen-
dium, vel ad clariorem intellectum eorum,
quæ ipsam præparationem & applicationem
spectant.

55. Harum prima est INSCRIPTIO in
fronte chartæ, arbitraria, à plerisque omissa,
notam aut literas ut plurimum exhiben-
tium votum indicantes: uti sunt, †. C. D.
JD. JJ. & ω. & similia, quæ pro lubitu
sibi quisque fingere, aut & sine peccato
prætermittere potest.

56. Secunda est Formulæ INITIUM,
constantius usitatum, notis Rec. vel Rx. i. e.
Recipe designandum, quo velut jubetur
Pharmacopœus, quæ sequuntur, pro-
mere.

14 DE FORMULIS IN GENERE.

57. Tertiò. Huc pertinet **ORDO**, quo Formulæ Ingredientia scribuntur. Varius is est in variis Formularum speciebus; imò nec unus & idem in iisdem constanter observatur: uti patebit in singularum historiis. In genere h̄c notandum.

α. Quod singulari cuivis ingredienti singularis detur linea, nec duo vel tria continuo juxta se mutuo scribantur.

β. Ingredientia ejusdem speciei sibi mutuo proxime subjungantur: *Radix Radici, Aqua, Aquæ, &c.*

γ. Specie diversa juxta quantitatem, qua recipiuntur, plerumque inter se digerantur; ut ordinem ducant copiosissima, claudant parciora, vel & vice versa.

δ. Alias & *Basis* primum tenet locum, alterum *Adjuvans*, tertium *Corrigens*, postremum *Constituens*.

ε. Quæ præscribuntur quantitate non definita, aut ex reliquorum ingredientium quantitatibus saltem definienda, fere semper ultimum locum occupant.

Dantur interim harum regularum exceptiones, postea commemorandæ.

58. Quartò. Notandus est **MODUS** tam ipsa Formulæ Ingredientia, quam horum Mensuras, **DESIGNANDI**. Quò hic distinctior, & intellectu facilior, eò commendabilior. Hinc

α. Adsuescat Medicus distinctæ scriptio-

ni; neque negligenter, aut properé nimis, literas pingat.

β. Nec peccet contra Ortographiam, ridendus Pharmacopœo.

γ. Inconditum scriptionis excessum vitet. Unde, si plura ejusdem speciei ingredientia sibi mutuo subjunguntur, juxta (57. β); primo saltem nomen speciei, omnibus commune, præfigitur, reliquorum vero nomina tantum propria deinceps, directè sub nomine proprio primi, ordine (57. α) dicto, collocantur. Simile quid obtinet, si plura proximè sibi invicem subjuncta æquali singulâ quantitate præscribuntur: quo in casu ne cujusvis quantitatem sigillatim adscribere necesse sit, vocabulo *ana* vel *aā* utimur; quippe quod ante postremi illorum ingredientium quantitatem designatam positum notat, de priorum singulis tantundem esse recipiendum. Plura ejusmodi compendia in usu sunt: quæ tamen in decursu sponte innotescunt, atque idèò saltem, si tuta fuerint, negligi non debent, quia ubivis more recepta sunt.

δ. Pejores noxas nimia infert scriptionis brevitas; præcipue cùm, non vulgaribus literis, sed introductory characteribus, sæpè malè pictis, tam ingredientia, quam horum pondera & mensuræ, quandoque non sine ostentatione, designantur: quo nimis frequenter factum est, ut Pharmac-

16 DE FORMULIS IN GENERE.

pœus nonnunquam aliud pro alio, vel maiorem minoremve præscriptâ quantitatem, summo cum ægri periculo , exhibuerit. Unde prudentius est , vel nullis ejusmodi uti compendiis, vel nonnisi distinctissimis, pervulgatis, minimè æquivocis; ubi forte, juxta (25) materiem Formulae celare animus est. Ponderum præprimis signa accuratissimè exprimenda , si quis his uti amet. Opus tamen est, usitatos Medicis charæcteres saltem cognoscere ; cùm plena iis sint omnia . Discantur ergo ex Schröderi *Pharmacopœa*, aut alibi.

ε. Iстis nominibus ad designanda Ingredientia utere , quæ in Officinis recepta sunt; licet vel barbara vel impropria fuerint. Cavebis sic, ne Pharmacopœus quid pro quo sumat. Si tamen , ob (25) minus vulgatum adhibes vocabulum, præmone Pharmacopœum.

ζ. PONDERA hodie in Officinis usitata sunt

℔. *Libra Medica*, continens Uncias XII.

℔. *Uncia*, quæ æquat Drachmas VIII.

℔. *Drachma*, pendens Scrupulos III.

℔. *Scrupulus*, qui constat Granis XX.

gr. *Granum*, quod raro ulterius , nisi in duas partes æquales, dividitur , & Piperis albi vel hordei minori grano circiter æquale habetur : quamvis tamen satius foret, **Grano exacte definiti ponderis , adeoque eo,**

eo, quod Aurifabri adhibent, juxta Ferne-
lii consilium uti; cùm aliás reliqua omnia
pondera majora, utpote Granum probasi
habentia, incerta sint.

n. MENSURÆ, hodie in re medica usu
receptæ, sunt vel *Aridorum*, vel *Liquido-
rum*.

Aridorum sunt

Fasciculus (Fasc.) qui, quantum bra-
chio complicato capi potest, continet, &
æqualis habetur Manipulis XII.

Manipulus (M.) quantitate, quam tota
manu complecti possumus, determinatur,
atque reducitur ad Pugillos IV. vel Unciam
dimidiæ.

Pugillus (Pug.) qui continet, quantum
pollice duobusque digitis primoribus unius
manūs apprehendi valet, & ferè respondet
Drachmæ dimidiæ vel integræ.

Numerus (N.) par vel impar.

Liquidis metiendis adhibemus, præter
mensuras vulgares, inter Mercatores usita-
tas, quoque

Cyatbum, qui circiter Sesquiunciam ca-
pit.

Cochlearium, (Cochl.) quod pro Se-
muncia habetur.

Guttam, (gutt.) quæ, minima liquido-
rum mensura, Grano inter Pondera substi-
tuitur: quamvis interim varium ejus sit
pondus, pro varia liquidī stillantis gravita-

te specifica atque consistentia: quod ipsum in Cyatho etiam & Cochleario ex parte locum habet.

3. Circa hæc (ζ & n) nota sequentia:

1. Ponderibus designantur omnia, non arida solum & mollia, sed & liquida, quorum quantitas accuratiùs determinata requiritur.

2. Mensuras Aridorum ad mole & vi diffusiora, Herbas, Folia, Flores, Semina &c. adhibemus. Numero præprimis Fructus, Semina majora, Bulbos quandoque, Albumina & Vitellos Ovorum &c. præscribimus.

3. Liquidorum Mensuris rariùs utendum, nisi ad Doses saltem speciales definiendas: Vulgares enim in variis locis ad varia liquida adhibentur variæ: reliquæ autem, haud magis constantes, pro diversitate liquorum plus minusve continent. Certior hinc Ponderum usus est: aut si Mensuræ tamen placent, scire expedit, quantum pondus de variis liquoribus capian. Guttis interim liquidorum quantitates, Drachma dimidia aut Scrupulo minores, commodè præstituuntur.

4. Numerus Ponderum & Mensurarum, non barbaris, (1. 2. 3. &c.) sed Romanis notis, (I. II. III. &c.) quippe distinctioribus, scribitur.

5. Omnia Pondera & Mensuræ, Gutta

excepta, bisecari solent, ipsorumque pars dimidia tunc designari charactere (β).

6. Mensuræ & Pondera majora, integra vel dimidia, per proprias suas notas, nequaquam per Mensuras & Pondera minoræ, quibus constant, exprimuntur.

7. Aliquando Ponderis aut Mensuræ determinatio Pharmacopœi arbitrio relinquitur, & scribitur saltem, *quantum sufficit* (q. s.) Ferri id potest, si ex cognito consistentiæ debitæ gradu, aut alia quadam regula stabili, determinationem hanc justè facere licet Pharmacopœo: at in casibus nimis vagis omnino vitari debet; prout in singularibus patebit.

8. Veteres aliis usi sunt & Ponderibus & Mensuris, quæ, licet hodie exoleta, Medico tamen cognita sint oportet; ut eorum scripta intelligat. Videantur hinc apud *Fernelium*, *Sennertum*, aut alios.

59. Quinta Dotium Formulæ externarum est SUBSCRIPTIO, quæ docet Pharmacopœum, quamnam expetat Medicus Formulæ speciem, quomodo hæc paranda, &, quo usque ex officio Pharmacopœi est, exhibenda aut applicanda sit. Hinc

a. Si Formula uno saltem constat Ingrediente, quod nulla eget præparatione extemporanea, subscribitur *Fiat*, (F.) addito Formulæ nomine, v. g. *Pulvis*, *Bolus*, &c.

20 DE FORMULIS IN GENERE.

β. Si verò pluribus constat saltem permiscendis, haud alio modo præparandis, ponitur primò *Misce* (M.) dein *Fiat* (F.) & tandem Formulæ nomen: sic e. g. *M. F. Bolus*. Aliquando tamen, in Misturis liquidis præsertim, sufficit simpliciter M. adscribere: aliquando & singulari monitione miscelæ æquabilitas inculcanda.

γ. Si tamen, præter miscelam, alia insuper desideratur præparatio, *Conscissio*, v. g. *Tusio*, *Digestio*, *Coctio*, &c. hæc quoque designanda est vel ante vel post (M) prout miscelam vel præcedere vel sequi debet.

δ. *Divisio* dein Medicamenti jam parati in suas Doses, si requiritur, subjungenda: ubi quandoque sedulò monere Pharmacopœum expedit, ut Doses singulas exactissimè faciat æquales; quia sæpè, compendi ergo, ad oculum saltem, partitionem instituunt.

ε. Receptaculi etiam, cui indendum remedium, mentio nonnunquam fit; imò & Obthuramenti, cùm facilè avolantia, aut aëre liquefcentia ingrediuntur. Patebunt hæc in singularibus.

ζ. Instrumentum denique, quo, & Subiectum vel Pars corporis, cui applicandum est Præscriptum, aliquando commemorantur, si hæc ad Pharmacopœum attinent:

uti postea in Emplastrorum, Linetuum,
Enematum &c. historiis docebitur.

n. In omnibus hisce (*α ad ζ*) præstituendis brevis sit Medicus, at clarus & distinctus, terminis utens technicis, licet barbaris; ne ipsius culpa committatur error, aut Pharmacopœo creetur molestia.

60. Sextum locum SIGNATURA habet, quæ, utut haud ubivis, alicubi tamen usitata, nec sane prorsus contemnenda, quandoque etiam absolute necessaria, exponit præscripti Remedii formam, vim, dosin, applicationis modum, tempus, vehiculum, regimen &c., quo usque hæc ægro vel adstantibus cognita requiruntur. Hæc ut ordine fiant,

α. Infra Subscriptionem (59. *α ad ζ*.), a linea, ponitur lit. S. i. e. *Signetur*.

β. Tum, si plura, similis præcipue consistentiae aut formæ, Remedia eidem ægro simul exhibenda sunt; singula per literas majusculas A. B. C. &c. vel numeros 1. 2. 3. &c. in fronte vel margine cuiuslibet Formulae positos, a se mutuo discerni, hæque ipsæ notæ dein cujusvis etiam Signaturæ post lit. S. adscribi debent: e.g. (S. lit. A. vel No 1.). Id quod supervacaneum est, si una saltem, aut plures facile a quovis distinguendæ, Formulae præstituuntur.

γ. Adponitur porro Medicamenti Titu-

22 DE FORMULIS IN GENERE.

lus, ex forma & virtute ejus compositus:
v. g. *Potio purgans* &c.

δ. Denique Dosis, Utendi Modus, Tem-
pus, Vehiculum, Regimen, & si quæ alia
observari debent, commemorantur.

ε. Quum Signatura hæc (α ad δ) normam
præscribat ægro, juxta quam in Remedii
applicatione procedendum est; hinc is vel
rescissam sibi servat, vel Pharmacopœus
eandem, in singulari chartula accuratè de-
scriptam, Remediique receptaculo adfixam,
una cum hoc, ægro tradit.

ζ. Idiomate igitur vernaculo, & distin-
cta brevitate, heic utendum.

η. In dando Titulo evitanda præprimis
circulatoria ostentatio, nec sesquipedalia
aut hyperbolica adhibenda Epitheta: *Au-
reus*, *Incomparabilis* &c. Risum hæc mo-
vent intelligentibus, ludibrioque exponunt
Medicum; quamvis plebeculam capiant.

θ. Cavendum insuper, ne reticenda ef-
ferantur in Signaturis eorum, quæ ad mor-
bos pudendos, v. g. Luem Venereum, vi-
tia Menstruorum, Sterilitatem, Impoten-
tiam &c. aut & partibus obscenis adplican-
da, præscribuntur. Eiusmodi vel nullis
vel minus apertis titulis insignienda; ut Em-
menagoga vocentur Aperientia, Antiven-
rea, Sanguinem depurantia, Aphrodisiaca,
Roborantia &c. Quæ verò ad applicandi
modum pertinent, viva tunc potius voce,
si fieri potest, injungenda.

i. Dosis heic per ejusmodi designari debet quantitates, quæ ægro vel adstantibus cognitæ, nec determinatu difficiles sunt, v. g. per Cochlearia, Cyathos, Digitabulum, Nucis magnitudinem, Guttas &c. Si vero exactissime ad pondus definita requiritur, Pharmacopœi potius industriæ divisione est committenda; ut hic Remedium in suas doses jam distributum exhibeat.

x. Modum & Tempus applicationis, pro Morbi, Remediis, & aliarum conditionum varietate, discrepantia, in genere sic dirigere expedit; ut scopo Medici quam maxime congrua, ægro, quantum potest, commodissima sint. Scrupulosæ Temporum determinationes, ex Astrologicis observationibus extortæ, Cordatores hodie nec juvant nec decent. Ludant his superstitiones Agyrtæ, quibus lucri & famæ bonus odor è re qualibet.

λ. Vehiculo si opus est, Remediij naturæ & viribus eligatur accommodatum, Remedio ipso haud injucundius, hinc ex gratioribus aut saltem consuetis, si fieri potest, depromptum. Cerevisia, Vinum, Juscula, Infusum Thee, Caffe, Nebula, Prunum maceratum, Julapia, & similia, heic usu veniunt.

μ. Regimen, ante, sub, & post Remediij applicationem observandum, determinare aliquando absolute necessarium est: sæpe

24 DE FORMULIS IN GENERE.

enim atget, minuit, mutat, destruit actionem Medicamenti. Indicationum vero Doctrina heic in auxilium vocanda.

61. Atque hactenus de Externis Formularum Dotibus in genete. Progredior ad earundem REQUISITA INTERNA, quæ partium eas constituentium numerum, naturam, quantitatem, mutuam habitudinem, & similia, complectuntur.

62. Formula (i & 6) vel unico saltem ingrediente, simplici, aut composito officinali, constat, vel pluribus. Hæc Composita vocatur; illa Simplex. De hac primo,

63. SIMPLEX Formula cùm pluribus uno careat ingredientibus (62.), præter Quantitatem vix aliud quidpiam exhibet determinandum.

64. Duplex autem est ejus Quantitas; vel quæ simul & semel præscribitur; vel quæ una vice ægro ingeritur aut applicatur. Illam vocabo Generalem; hanc Specialem, siue Dosis, quæ, cum constituat priorem, prius pertractabitur.

65. In Dosi duo spectanda veniunt: Moles nimirum atque Numerus.

66. Molem determinant variæ tam ægri, quam Medicamenti adhibendi, conditiones, a Medico probè prius ponderandæ; ne, excessu vel defectu peccans, Remedio etiam apte selecto aut noceat, aut saltem boni præstet nihil. Hinc adtendum.

a. Ad Morbi naturam, sedem, statum, vim, causas, symptomata &c.; ut nodo aptus adhibetur cuneus. Vehementia, velocia, altius radicata, vix nisi grandiore Dosi superabis; quam si leviori malo oppefueris, Remedium novi causa morbi evadet.

B. Ad *Vires Vitæ*: cum enim per hanc remedia in actum deducantur; utique requiritur, haec ut illi sint proportionata, nec suffocent, a qua dirigi debebant. Fortes hinc validam, minutam Debiles ferunt Dofin. Oppressas interim Vires ab Exhaustis probe distinguit.

γ. *Ætatis* dein ratio habenda. Quocirca sequentes ferè obtinent generales regulæ quoad Remedia Interna (*a*).

Pone Dofin efficacem esse pro Homine consistentis ætatis	I vel Drach. j.
Erit pro Ann. XIV ad XXI $2\frac{1}{3}$ vel Scrup. ij.	
- - - - VII ad XIV- $1\frac{1}{2}$ vel Drach. β.	
- - - - IV ad VII- $1\frac{1}{3}$ vel Scrup. j.	
- - - - IV - - $\frac{1}{4}$ vel gr. XV:	
- - - - III - - $\frac{1}{6}$ vel Scrup. β.	
- - - - II - - $\frac{1}{8}$ vel gr. VIII.	
- - - - I - - $\frac{1}{12}$ vel gr. V.	

Senes bis pueri, ut viribus & vietu, sic & Medicamentis: unde in his Sexagenarium cum Juvene tertii septennii, Septuagenarium cum Adolescenti secundi, Octuagenarium cum Pueri primi, & sic porro,

26 DE FORMULIS IN GENERE.

comparare forsitan licet. Neque tamen adeo hæc constanter obtinent, quin multas ferant exceptiones: prout facile patet diversos eiusdem ætatis homines, ratione virium, inter se se conferenti. Quare ex Ætate sola vix rectè calculum posueris.

δ. *Moles* quoque *Corporis* nonnunquam Dosis variat: licet interim Viribus hæc non semper sit proportionata.

ε. *Temperies* etiam limites heic figit. Biliosi, Melancholici, Humectantium, Refrigerantium, Laxantium, majorem plurumque copiam ferunt facile; laeduntur a minore etiam quantitate contrariorum, quæ tamen, majore licet Dosi, applicata Phlegmaticis ut plurimum pulchrè conducunt.

ζ. *Sexus* item huc facit. Fœminarum plurumque tenerior, quam Virorum, constitutio restrictiore Dosin postulat. Quin viribus etiam accommodatam quantitatem respuunt nonnunquam deliculæ. His igitur, quo usque fieri potest, vel diminutione, vel partitione majoris in plures minoris, subveniendum.

η. *Dispositio* etiam *singularis*, morbosâ, vel naturalis, perpetua vel temporaria, a Conformatione, Habitu corporis, Sexu, Morbis prægressis &c. pendens, primario morbo complicata, aliter quandoque determinat Dosin. Mensium fluxus, Graviditas, Puerperium, Lactatio, Passio Hysteri-

ca in Fœminis, Hypochondriaca in Viris, Obesitas, Gracilitas, Viscerum quorundam Debilitas, Gibber, Calculus, proclivitas ad Vomitum, & alia plurima hujus sunt loci.

¶. Singularissima insuper, quam *Idiosyncrasiam* vocant, cuiusdam Individui habitudo, respectu hujus illiusve Medicamentorum classis, aut peculiaris etiam Remedii, summopere nonnunquam observanda; quamvis interim, per generalia inexplicabilis, sola experientia aut ægri relatu cognoscatur. Sunt, quos vel odor Purgantis movet; dum alios vel duplicata Dosis ordinaria vix afficit.

i. *Consuetudo* pariter locum heic habet; cum eorum, quibus natura adsuevit, Dosis grandior plerumque lenius agat, quam minor insuetorum: quod Nicotianæ usus exemplo ubivis obvio commonstrat.

ii. Nec *Vitæ Genus* plane prætereundum: ut enim varios id sanitatis gradus atque morbos efficit; sic varias etiam sæpe corporibus inducit habitudines, quæ Medicamentorum actiones augent vel imminuunt.

λ. *Nationes universæ* heic quandoque singulare quidpiam sibi vindicant. Saxones, Westphali, difficilius moventur (a). Siameses Poculo Arsenicali, loco Antimonialis; Indi Ipecacuanhæ Dosi vigecuplo in-

(a) Wedelii de Compos. Medic. Tab. II.

28 DE FORMULIS IN GENERE.

jore, quam Europæi, ad Emesin ciendam opus habent (*b*).

μ. Quin & *Anni Tempus* nonnunquam alicujus est momenti: quatenus ardenter Sirius, sœviens gelu, aut aura temperator, suadent vel lenius movenda corpora vel validius.

ν. *Remedii* tamen adhibendi nota *Efficacia* & *Penetrabilitas*, ad priores conditiones comparata, vel maximam heic diversitatem parit. Unde per experientiam legitimè stabilitam usitatorum quorumvis Medicamentorum, præcipuè generosiorum, Doses efficaces, harumque gradus, exacte cognitos habeat Formulam ex arte præscripturus. Si quæ autem nova, nondum rite explorata, in usum vocare libuerit, regulæ (19.) memor, minima primò quantitate experimentum capiat, circumspete dein auerterus Dosis, animadversa prioris inertia.

ξ. *Pretium* quandoque *Remedii*, cæterum haud adeo potentis, Dosis restringit. Margaritæ, Gemmæ, Lap. Porcini, Bezoar &c. testes sunt.

ο. *Specificæ* etiam *Levitas* materiæ, majo-
re saltem quantitate efficacis, de Dosi detra-
hit; ne moles nimia, simul ingerenda, nau-
seam moveat: prout circa Herbas, Flores
&c. nonnunquam obtinet.

(*b*) Histoire de l'Academ. Royale. 1703. p. 63.
Edit. Belg.

π. Hinc & Odoris, Saporisve, aut qualitatis alterius, *Injucunditas*, Remedium aliquando parciore Dosi simul exhibendum suadet. Asa Fœtida, Castoreum, Pinguia &c. id docent (27.).

ρ. Ipsa *Formulæ Species Dosis* quantitatem sœpe determinat. Habent enim certos plurimæ terminos modosque, quos egredi vix sine summa necessitate licet: uti patebit postea.

ς. *Uſus* denique *Remedii* varius, externus, internus, & *Applicatio* ad diversas corporis partes multiplex, heic consideranda. Haud parum interest discriminis, Purgans an Clysmatis specie injiciendum, an ore hauriendum, dederis &c.

Nota. *Vetat instituti mei ratio, plura aut magis specialia hoc de themate superaddere.* *Vetat* hæc ipsa, amplitudini rei, certis limitibus vix generaliter definiendæ, simul juncta, *Tabulam*, ut fieri solet, heic subjungere, aptas singularium quorumvis Remediorum Doses exhibentem. Tot hæc obnoxiae sunt exceptionibus, ut nonnisi in casu speciali, determinatis prius conditionibus (66. & ad ς), & forte pluribus aliis, stabiliri ex arte queant. Sed Indicationum quoque *Doctrinam*, & Materiem Medicam, tam simplicem, quam arte factam, Tyroni meo cognitas suppono (7. &. ad γ.); quæ quidem, uti *Vires*, ita *Doses* etiam, quo usque in genere fieri potest, edocent. Quin &, quæ

30 DE FORMULIS IN GENERE.

postmodum de Formularum speciebus sigillatim tradentur, multam his lucem adfundent.

67. *Numerus Dosum* (65) *simplex*, vel *multiplex*, quandoque *arbitrarius* est; *sæpiissimè tamen certis itidem conditionibus limitatur*. *Quocirca sequentes ferè regulæ usu* *veniunt*.

α. Si Dosis unica scopo Medici sufficit; quid opus pluribus?

β. Si Remedium fuerit injucundum, æger ad usum tardus aut difficilis, ingestio vel applicatio molesta, quantum potes, paucissimas Doses exhibe.

γ. Quæ mora facile corrumpuntur, deliquescent incommode, exhalant, nimis arescunt, parciore quantitate simul præscribe. Varius Atmosphæræ calor, tum conditio-nes aliæ, vitia modo dicta magis minusve promoventes, heic specialius determinant.

δ. Ubi Dosis efficax præscripti mole major est, quam quæ una vice commode queat ingeri; expedit, si per alia licet, partiri eam in plures Doses minores, per intervalla adsumendas; ne ægro nauseam, vel & vomitum, cieas: id quod in Vomiturientibus præprimis observandum.

ε. Si Generosiora adhibes ægri Naturæ aut Idiosyncrasiae haud bene gnarus; satius est, Dosis efficacem partitis vicibus paullatim dare; ut tempestive abstinere liceat. Idem circa usum novorum, minus probatorum, quoque obtinet (66.v.).

ζ. Si incognita, vel dubia, morbi indoles incertum facit Remedii effectum; coactus ad præscribendum, ob (14), saltem ne multas Doses exhibe: minus sic ægro molestus, facilius insuper, dum requiritur, mutare poteris.

η. Quorum præparatio difficilior est aut longior, nisi quid obstet, ad plures Doses præscribe; ut parcas Pharmacopœi operæ nimium sæpe pretiosæ.

θ. Hinc & quæ peregrè mittuntur ad loca bene instructis Pharmacopoliis destituta, si per alia licet, majore quantitate dare convenit.

ι. Contra si proximus ægro Medicus hunc frequenter invisit, Dosum numerus contrahatur; ne crebrius sine facta præscriptione abeundum sit: quod aliquibus minus acceptum.

κ. Ubi autem diu continuatus ejusdem Remedii usus requiritur; quoisque fieri potest, plurimas in Doses id exhibe. Parsimonia emti suadet usum, vix tamen, præcipue si fastidio jungitur, ad novi emptionem compulsura.

λ. Si per brevia intervalla adhibendum est Medicamen; itidem multiplicandæ sunt Doses; ne iteratæ præparationis necessitas molesta sit.

μ. Denique si, in Chronicis maxime, varietatem amat æger, aut postulat Indica-

tio (50); minorem quantitatem simul præscribe; ut crebrius, & leviore sumptu, variare possis.

68. Numero & Mole Dosis juxta (66 & 67) determinatis, QUANTITAS GENERALIS Formulæ (64) levi negotio detegitur. Si enim Moles multiplicatur per Numerum, productum erit Quantitas tota simul præscribenda. Unde sequitur.

a. Quantitatem Generalem æqualem esse Speciali (64), si Dosis tantum unica simul præscribitur.

β. Si vero plures unâ Doses eadem Formula complecti animus est, Quantitatem Generalem ad minimum duplo requiri majorem Speciali.

γ. Si Dosis exæste ad pondus determinatur, Quantitatem Generalem ita esse proportionandam, ut ea per Dosis pondus dividi queat sine residuo. Hæc tamen regula haud ubique observatur; præcipue si ad plurimas Doses sit præscriptio.

69. Cæterum memento Consistentiæ Ingredientis, in Formula Simplice præscribendi; ut id in formam, quam desideras, redigi ex se aptum natum sit.

70. Denique heic è quidem magis abstinentium ab acrioribus, odore vel sapore molestis, difficulter ingerendis &c. (27); quia necessaria horum correctio aut obvolutio per aliorum miscelam in Formula Simplice

plice locum non habet: nisi forte idonei vehiculi electione ægro consulas.

71. Tantum de Formula Simplice. Proximum est, ut de COMPOSITA (62) agamus, quæ uti pluribus constat Ingredientibus, ita majus quoque ad sui concinnationem postulat artificium.

72. Videretur equidem, in tanta Simplicium atque Compositorum Officinalium affluentia, vix, nisi rarius, Compositione Magistrali (6) opus esse, ob (31. & 38): sed frequenter tamen ejus necessitatem faciunt sequentia.

α. Simplicis vel Compositi Officinalis, morbi & ægri conditionibus accommodari, defectus. Nimia hinc Dosum efficacium moles, suspecta præparatio, minus curiosa, aut nimis diuturna ad corruptionem usque asservatio, &c. sæpius usum Compositorum Officinalium, licet cæteroquin Indicationi satis respondentium, dissuadent.

β. Virtus Remedii debilior, debellando morbo impar, aliorum additione augenda.

γ. Violentia ejusdem, minus tuta, appropriatis cicuranda.

δ. Diversitas simul concurrentium Indicationum, quibus Simplice uno, aut Composito Officinali, satisfieri nequit; dum interim variorum, quæ requiruntur, apta miscibilitas in unam ea Formulam componi postulat (39.).

¶. Partis, cui applicari, vel per quam transmitti debet Remedium, Situs, Sensus vividior, aliæque conditiones.

ζ. Formulæ facta electio (43. ad 50.), constituendæ materies indicata sola, ex se, minus idonea est.

η. Necessaria Medicamenti occultatio (25.).

θ. Coloris, Saporis, Odoris, aliarumve qualitatum injucundarum desiderata correctio.

ι. Tandem &, pessimè quidem, introductus mos, nulla licet urgente necessitate, plura semper in unam Formulam congerendi, cui obsequi quandoque jubet Medicum, præsertim jnidorem, Prudentia (30.).

73. In Formula Composita, ob conditiones (72.), aliasve, requisita, adtendum. α. Ad *Partium*, ex quibus componitur, numerum, usum, proportionem. β. Ad *Quantitatem tam Generalem, quam Specialem* (64.). γ. Ad *Qualitates totius Compositi* ex miscela oriundas.

74. PARTES numerantur quatuor. α. Basis. β. Adjuvans. γ. Corrigens. δ. Constituens. Quod enim alii, quinto loco, superaddunt, *Dirigens* dictum, si datur, commode Adjuvanti accenseri potest.

75. BASIS est pars in compositione princeps, qua, utpote ad affectum profligandum selectissimâ, Indicationi suæ potissi-

num satisfacere conatur Medicus. Requiritur hinc in omni Formula præsens, etiam in Simplice (63.) quam sæpe constituit totam: sola ideo quandoque sufficit, nullius additione egens; quandoque tamen aliorum permixtione saltem accommodanda, ut ruto, cito, & jucunde agat, quod agere debet,

76. Est ea (75.), ratione *Virtutis*, *Simplex* vel *Composita*. Simplex dicitur, quæ uni saltem Indicationi respondet; Composita, quæ pluribus diversis. Utraque vero, ratione *Materiæ*, iterum *Simplex* vel *Composita* esse potest; prout vel uno, vel pluribus, constat ingredientibus.

77. Quænam harum (76.) eligenda sit, docent regulæ sequentes.

α . Quod uno vales efficere, ne tentes pluribus. Unde, ubi uni saltem Indicationi satisfaciendum, Basis & Materie & Virtute Simplex; ubi pluribus, Simplex Materie, Virtute Composita, si sufficit, præferenda.

β . Si tamen plura simul unita efficacius præstabunt, quod intendis; compone.

γ . Tum vero cave, ne confundas, quæ vel misceri inter se nequeunt, vel mista alienas sortiuntur vires. (vid. 29. 30. 31. 36. 40. 41. & paulo post tradenda.)

78. ADJUVANS (74) dicitur, quod actionem Basis (75.) promovet, cum hæc

36 DE FORMULIS IN GENERE.

effectui desiderato sola impar est. Ejus ergo haud perpetua in omni Compositione necessitas.

79. Triplex vero modus est, quo Basin adjuvamus. Vel enim α . Vim ejus directe intendimus. Vel β . Materiem, in quam agere, & Vias, quas permeare deber, ita disponimus, ut minus resistant. Vocatur *Præparatio*. Vel denique γ . Actionem ejus ad hanc illamve partem aut locum corporis dirigimus.

80. Primum (79. α .) usu venit, ubi Basis ex se inertior est, aut majore, quam com mode adhiberi potest, mole efficax (66. α . γ . ζ . o. q.). Perficitur addito efficaciore ejusdem virtutis, aut alio, singulari virtute, experimentis cognita, id præstante: uti cum Purgantibus lenioribus Trochisci Al handal, aut & fortioribus parciore Dosi sumptis Stibium Diaphoreticum, junguntur. Frequentius in Evacuantibus, in Alterantibus rarius, locum habet. Sæpe autem pars potius Basis dici meretur.

81. Altero (79. β .) itidem vix nisi in Evacuantibus utimur; cum vel Materies eliminanda difficulter mobilis est, aliave dote Basin enervatura; vel Viæ permeandæ justa carent libertate. Juvant tunc Attenuantia, Diluentia, Antacida, Antalcalica, Aperientia, Laxantia, Antispasmodica, & similia.

82. Postremo (79. γ .) locus est, si quan-

do Basis actio ex se adiaphora certam ad partem magis duci debet. Mercurium sic Purgantium additamento determinamus ad Alvum, Opio vel Adstringentibus mistis ad Glandulas Salivales &c. Haud constat interim, utrum Directio isthæc, præpribus per Specifica Topica, adeo ubivis efficax sit, ac olim solebat adhiberi.

83. CORRIGENS (74.) vocatur, quod vel noxiā vel injucundā aliorum Ingredientium qualitatem tollit, virtutes tamen relinquens illibatas. Absente hinc vitio haud opus Correctore.

84. *Noxiæ Qualitates* (83.), quæ vulgo, in Emeticis maxime, Purgantibus, & Opiatis, culpantur, sunt Acrimonia, Flatulenta, Viscerum Enervatio, Frigus vel Calor nimia, & similia. His corrigendis adhibentur Demulcentia, Acrimoniae singulari opposita, Carminantia, Roborantia, Calefacientia, Refrigerantia &c. At nota

α. Male vocari Correctionem (83.), quæ simul cum vitio & virtutem succidit.

β. Pleraque, quorum tantopere urgetur Correctio, vitia vel adeo inseparabilia esse ab ipsa eorundem Remediorum virtute, ut, illa imminuendo aut tollendo, hæc quoque pari gradu aboleatur; vel saltem usu potius intempestivo, quam sua culpa, nocere: ne dicam adulterationes, corruptiones per longorem aut incuriosam asservationem con-

tractas, & minus legitimas præparationes &c. solas quandoque noxarum esse causas.

γ . Correctionum hinc plurimas male tales vocari, male institui; quia, dum vel nihil profundunt, vel & obsunt, Dosis interim efficacis quantitatem tam mole Corrigentis additi, quam ob vim Basis mutilatam, incommode nonnunquam augent.

δ . Prostare insuper pleraque sic dictorum Malignorum jam Correcta in Officinis; ut ideo Correctione Magistrali supersedere possit, iis qui uti volet.

ϵ . Optimam plurimorum Correctionem in genuina bonitate, praeparatione dextra & fida, usu tempestivo, ac Dosi accommodata (66.) sitam esse.

ζ . Verius tamen vitium dari circa Olea inflammantia, Resinas, Pinguia, acria; dum haec per se ingesta, aquosis difficulter solubilia, hinc viscerum vasorumque parietibus tenaciter adhaerentia, stimulos faciunt aegrè abstergendos. Saccharum heic, Ovi Vitellus, Sapones, Olei blandioris tantillum, Alcalini Sales, Absorbentia, intertrita, ex usu sunt.

85. *Injucunditas* (83.) corrigenda Sapo-rem respicit, Odorem, & Colorem. Priori serviunt Saccharum, Syrupi, Acida &c. Alteri Aquæ & Olea fragrantia, Ambarum, Moschus &c. Coloris gratia conciliatur Cinnabari, Santalo rubro, Auri & Argenti foliolis, &c. Notandum tamen,

α. Haud tantam in Medicamentis, ac in Cibo & Potu, gratiam vel obtineri semper posse, vel & ab ipsis aegris exigi. Appetitiam his invitat morbi molestia: hinc Coquinaria eò non opus.

β. Sapores & Odores eosdem haud omnibus promiscuè aequè vel gratos, vel utiles esse. Alios delectari & juvari aliis. Dulcia & suaviter fragrantia quibusdam infestissima.

γ. Esse, quibus male olent & sapiunt omnia è Pharmacopolio petita. His, utcunque correcta dederis, placebit nihil. Vis tunc in molem minimam compacta, pariorque Dosum numerus, si ita licet, jucundissimam praestant Correctionem.

δ. Si tamen & aliter corrigere juvat, dextre id & considerate faciendum; tum ne sublato uno injucundius aliud nascatur vitium; tum praecipue, ne virtutem ipsam male pervertas destruasve.

ε. Abstinendum esse a nimia sedulitate in concilianda praeprimis Coloris gratia per Auri Argentique folia ubique interinista. Ferri haec possunt in Pilulis quandoque &c.: at nunquam omissa ridiculam produnt vanitatem.

ζ. Ingratas Qualitates saepe oriri ab incondita nimis discrepantium in unam Formulam congestione; vitari hinc posse delectu congruorum, aut partitione in plures Formulas (40.)

n. Quin & solam Formulae speciem, Remedio aut aegro accommodatam, nonnunquam Correctionis loco esse (43.45.).

86. **CONSTITUENS** denique (74.) est, quod alia Ingredientia in debitam Formulae desideratae consistentiam, quandoque & molem, redigit. Eo igitur minimè opus, nisi cum reliqua per se in formam expeditam coire nequeunt, aut justo minoris sunt voluminis. Sequentia heic observanda.

a. Si unà & Adjuvans (78.), aut Corrigens (83.), aut utrumque requiritur, videndum, an alterutrum horum inveniri queat tale, quod simul & Constituentis vi-ces impleat; ne, praeter necessitatem, multiplicentur Ingredientia.

B. Sin minus: eligatur aliud, reliquorum viribus vel respondens, vel saltem non oppositum.

γ. Quin & miscibile id cum reliquis sit oportet: aut si aliud postulat Indicatio, interventu Saponacei ~~cujusdam~~, Sacchari, Vitelli &c. miscela perficienda.

87. Hactenus (74. ad 86.) enumeratarum Partium **PROPORTIO MUTUA** determinatur. *a.* Ex cognita Dosi efficace & Consistentia singularum (35.66.). *β.* Ex notis Viribus earundem inter se mistarum. *γ.* Ex justa Formae desideratae Consistentia ac Quantitate speciali (66. q.)

88. *Basis* (75.) quidem, licet non semper

quantitate, at vi tamen debet superare alia omnia, &, sive Simplex sit sive Composita, ea Dosi sumi, qua sufficiat scopo exsequendo. Interim

α. Habenda simul ratio Adjuvantis (78.), si quod additur: id enim, de prima potissimum sp̄ecie (79. *α.* 80.) petitum, si insigniter auget vim Basis, haec pro rata restrin-gatur necesse est.

β. Corrigens itidem (83.) si adhibetur, videndum, an & quoisque debilitet Basin (84. *β.* *γ.*); hæcque tum proportione au-genda.

γ. Quin &, si Constituens additum simul vel adjuvat vel corrigit (86. *α.*), similia modo dictis obtinent.

89. *Adjuvantis* ea est ad Basin Proportio, ut huic saltem vi, si non & quantitate, ce-dat: secus enim Basis potius pars, quam Adjuvans, vocabitur; præcipuè sicubi vir-tute Basi simile fuerit (80.). Neque heic ulterius quidpiam in genere determinare li-cet; nisi quod operadanda sit, ut Adjuvans cum Basi simul justam, nec vi vel mole ni-miam, Dosin constituat.

90. Circa *Corrigentia* utriusvis classis (84. & 85.) generatim ferè consultius est parcio-rem esse; ne incurritur in peccata (84. *β.* *γ.* 85. *β.* *δ.* *ε.*). Hinc neque tutum, ea, quæ Saporum Odorumve Correctionem spe-ctant, Pharmacopœi arbitrio relinquere de-

terminanda (58. §. 7.). Cætera patebunt in singularibus.

91. *Constituentis* (86.) haud ubique eadem est Proportio: prout enim vel ipsum natura varium est, vel Formulae parandæ species alia atque alia, vel Ingredientium reliquorum consistentia aut moles huic magis minusve respondent; ita parcior illius sive major quantitas requiritur. Si solam id molem augere debet; tantum ejus addendum, quantum reliqua a justa Formulae Dosi absunt: quod determinatu facile est ex hujus cognita quantitate. Si autem formæ exigitur constitutio; Pharmacopœo sæpiissime, neque adeo cum periculo, committitur determinatio (58. §. 7.).

92. *Dosis*, vel *Quantitas Specialis*, Formulae Compositæ (73.), quoad Molem, æquè ac Numerum, iisdem definitur conditionibus, quibus in Formula Simplice (66. 67.). Id saltem discriminis heic notandum:

α. Plenæ Doses singulorum Formulae Compositæ Ingredientium, præcipue Basis & Adjuvantium huic congenerum, simul junctæ tot conficiunt Doses efficaces, quot sunt Ingredientia efficacia: ut ideo horum numerus numerum Dosiū tunc exprimat.

β. Ubi igitur numero Ingredientium efficacium pauciores, vel & una tantum, requiruntur Doses; de singulorum Dosisbus

tales saltem capi debent portiones, quæ simul sumptæ tot modo, quo desiderantur Doses constituant.

γ. Neque tamen vis Simplicium post miscelam semper eodem in gradu perstat; sed sœpe inertior, sœpe fortior fit: quod omnino adtendendum. Multum interest, Adjuvans an addideris Basi, an Corrigens, an utrumque, & quale. Hoc minuit quandoque, illud intendit virtutem, manente mole eadem (79. 84. 85.). Exempla quædam mox, ubi de Qualitatibus, proponemus.

δ. Quin & ex variis inter se mixtis composita sœpe emergunt longè vel minus vel magis corruptibilia, quam erant singula seorsim constituta. Emulsa quam cito aescunt! Alcalica contra fixa, cum Absorben- tibus subiecta, quamdiu perstant sine deliquio! Inde ergo nonnunquam numeri Do- sium simul præscribendarum in Formula Composita quædam varietas (67. γ).

93. QUANTITAS GENERALIS Formulæ Compositæ (73.) ex dictis (68.) collatis ad (92.) sponte innotescit.

94. QUALITATES (73.) denique ex variorum miscela oriundæ, haud raro ab iis eorundem seorsim constitutorum diversissimæ, in Formula Composita vel maxime considerari debent: haud enim solummodo superficiariæ sunt, sed vires etiam Medicatas, intimamque rerum naturam sœpe affi-

44 DE FORMULIS IN GENERE.

ciunt, quæ hinc nascuntur, mutationes: ut vel ex hoc quoque satis constet, quam malè, præter necessitatem (72.), Composita Simplicibus præferantur (31.)

95. Qualitates, quarum heic ratio habenda (94.), sunt præprimis *Consistentia*, *Color*, *Odor*, *Sapor*, atque *Virtus Medicata*.

96. *Consistentia*, cum sua cuivis Formula-rum speciei propria sit, ne per variorum mixtionem temere pervertatur, omnino- cavendum. Secus enim nauseam, usum minus commodum, aut malæ præparatio-nis suspicionem ægro, Pharmacopœo ræ-dium, quandoque & risum, Remedio sæ-pe minorem efficaciam, aut vires alienas, creabis.

97. Vitiatur ea (96.). α . Inæqualitate miscelæ. β . Spissitudine vel Siccitate nimia. γ . Nimia Fluiditate vel Mollitie.

98. Hæc (97.) ut caveantur, nosse oportet,

α . Consistentiam cuilibet Formulae pro-priam: de qua postea in Singularibus.

β . Consistentiam cuiusvis Ingredientium seorsim (35). quæ ex (7. β . γ .) addiscenda.

γ . Mutuas miscendorum ad se invicem habitudines (36.). Cognoscenda hinc sedulo ea, inter quæ mutua datur Repulsio, Effervescentia, Fermentatio, Præcipitatio, Deliquium, Concretio &c. Hæc vero cum sola doceat Chemia, hujus in Pharma-macia summus inde usus patet.

99. *Colore* nihil mutabilius; præsertim sicuti varia permiscentur. Eo interim sunt qui adficiuntur. His igitur ut, quantum fieri potest, subveniatur, ad sequentia attendendum.

α. Nullus, diaphanus, albus, aureus, ruber, cœruleus, Colores in universum jucundiores sunt; minus jucundi, luteus, viridis, niger, ex his mixtus, opacus.

β. Est suus quibusdam Formularum speciebus Color magis familiaris. Emulsa lacteus, Julapia ruber, cœruleus, nullus, Mixturas contractas, aureus, rubicundus, diaphanus, commendat, & sic porro. Insuetus nauseam parit vel scrupulum delicioribus; aliquando tamen prudenter adhibetur (25.).

γ. Ex Coloribus miscendorum nulla datur Coloris, post miscelam nascituri, determinatio Physica generalis. Ex Colore carentibus, inter se mixtis, album, flavum, rubrum, cœruleum, fuscum, atrum &c. producit Chemicus; imo fere dixero, quosvis ex quibusvis: ut ideo sola propemodum Chemia & exempla det & regulas, quibus heic opus. Adde his supra (35.) memorata.

100. *Odorum* haud minor ferè, quam Colorum (99.), est mutabilitas: at major etiam & verior efficacia. Curandum hinc, ne quid in his vitii ex miscela diversorum oriatur. Quare nota

46 DE FORMULIS IN GENERE.

α. Valde limitatas incertasque esse circa Odorum gratiam regulas; nec placere omnibus, qui nonnullis (85. β. γ).

β. Suavitatem heic & utilitatem haud pari passu ambulare. Hypochondriaci, Hystericæ, Epileptici, &c. a suaveolentibus saepe pessimè multantur.

γ. Inodora, tum medio vel suavitatis vel fœtoris gradu constituta, ferè in universum amari magis: Putrida contra, & Stercorea, ferri difficillime: Fœtidissima interim, æquè ac Fragrantissima, ad bene maleque adficiendum corpus maxime valere.

δ. Omnem saepe rerum virtutem ab Odoribus horumve principiis pendere; his destruetis illam simul perire, mutatis mutari.

ε. Ex Odoribus miscendorum haud posse generaliter determinari Odorem misti. Docet sane Chemia,

1. Ex Inodoris inter se junctis nasci Odoratissima. Sali Ammoniaco si miscueris Alcali fixum vel Calcem vivam, inodoro inodora, quam vehemens exsurgit odor subitissime! Vitrioli Acidum adfunde Nitro, Sali marino, Ammoniaco, Tartaro regenerato, & similibus: eveniet idem.

2. Ex Odoratissimorum permixtione effici odore omni carentia. Spiritus Salis Ammoniaci cum Acido Nitri vel Salis junctus pro exemplo sit.

3. Fœtores pessimos a minus fœtidis,

aut & suaveolentibus, commixtis posse excitari: suavissimos contra odores a fœtidissimis. Sulphur Alcali fixo solutum, Aceto adfuso, nonne Ova olet putrefacta? Male olentes interim Succi simul eadem in crumenā gestati Lemeryo Moschi exhibuerūt suavitatem (a).

Quocirca, ut heic quoque circumspetè agatur, æque iterum utilis est ac necessaria Chemiæ cognitio.

101. *Sapor*, iisdem, quibus Odor, conditionibus obnoxius (100.), similes etiam cautelas reposcit. Sincerus, dulcis, acidus, amarus, falsus, &c. optimi: rancidus, putridus, utrinosus, ingratissimi: diversissimi, sæpe & absurdissimi sunt, docente rursus Chemia, qui ex variorum permixtione enascuntur.

Acidum & Alcali nonne destruuntur ambo inter se commissa?

Quid ingratius Salsedine, quam fatuus Cancrorum Lapillus, & Marina quævis Absorbentia, conciliant Acidis?

Terræ pingues, insipidæ, cum Acido fiunt Aluminosæ.

Plumbum cum Acidis Saccharinam generat dulcedinem: Ferrum ex dulci stipticum; Metalla reliqua quam terribiles sapores!

102. Ferri tamen quandoque possent Qualitatum haec tenus (96 ad 102.) recensi-

(a) Hist. de l'Acad. Royal. An. 1706. p. 7.

tarum vitia; nisi his s̄epissime comitem se jungeret incongrua *Virtutis Medicatæ* mutatio. Imo hæc, illis etiam vix notabiliter alteratis, haud raro nascitur inexpectata. En quædam exempla!

α. Acida & Alcalica inter se mista vires suas singulares perdunt utraque, quippe in Salem neutrum abeuntia.

β. Acida & Absorbentia vera se mutuo destruunt; ut nec horum nec illorum virtus supersit, sed nova penitus nascatur.

γ. Terræ bolares, medicatæ, Acidis junctæ, vim adstringendi adquirunt fortiorē, Aluminosam.

δ. Purgantibus aliis nocent vel prosunt Acida, aliis Alcalica. Scammoneum Acidi miscela reddit, arenæ instar, inertissimum: Alcali fixum contra adjuvat. Jalappam & Colocynthidem fere cicurat penitus Sal Tartari.

ε. Opiata Sudoriferorum & Sialogogorum actionem promovent: reliquorum vero Evacuantium fere suppressimunt.

ζ. Mucilaginosa & Adstringentia Sacchari mixtione debilitantur.

η. Hydrargyrum, cum Sulphure in Æthiopem aut Cinnabarim mutatum, Sialogogum esse desinit. Idem, cum Sacchari aut Lapid. Cancror. duplo accurate tritum, fit inertior Aethiops albus. Vide tamen (*α*). Turbit Minerale, cum Pilul. de Dibus

(*α*) Medial. Essays of the Society in Edinburgh. Vol. III. p. 388.

bus & Camphora remixtum, ex Evacuante
in Alterans mutatur (*b*). Mercurius Dul-
cis, Sulphuri Antimonii sociatus, Ptryalif-
mum, Vomitum, Alvum, Urinam, vix
movet (*c*). Sublimatus Corrosivus, ad-
mistu pluris crudi, fit Dulcis. Calces Mer-
curii plurimæ, adhærente acido acres, per
Alcalica, vel Terrestria Absorbentia, inter-
trita mitescunt. An Aethiops, aut Cinnan-
baris, cum Alcali fixo permista manent ea-
dem?

S. Calx viva, ex se fatua, quantam Al-
cali fixo inurit acrimoniam! quantam parti
Salis Ammoniaci!

t. Alcalica Acidis, Acida Alcalicis soluta,
plerumque excutiunt cum insigni virium al-
teratione. Martis Vitriolum Alcalicis mi-
stum in speciem abit Tartari Vitriolati, O-
chramque indomabilem. In reliquis Me-
fallis & Semimetallis, excepto Cupro, si-
milia obtinent. Alumen ab Alcali in Cal-
cem præcipitatur inertissimam: unde Ma-
gisteriorum Aluminosorum natura patet.
Sulphur, Alcali solutum, Acido inde ex-
turbatur, &c.

x. Terrestria Absorbentia, vi Antacidâ
Alcalicis similia, simili quoque modo mu-
tant & mutantur.

D

(*b*) Ibid. Vol. IV. p. 32.

(*c*) Ibid. Vol. I. p. 46. Vol. III. p. 389.

50 DE FORMULIS IN GENERE.

λ. Alcali Fixum ejicit de corporibus concretis tum Volatile, tum Absorbentia Terrestria. Volatile idem præstat ratione Absorbentium. Calx tamen viva excipitur, quæ contra Alcali Volatile excutit (§.). Quam immanes hinc mutationes, ubi Alcali Fixum vel Calx viva, cum Sale Ammoniaco aliisque Alcali Volatile continetibus; aut utrumvis Alcali cum Magisteriis solubilibus Coraliorum, Perlarum & similiūm, combinatur.

μ. Acidum natura fortius expellit aliud Acidum debilius de sua basi. Fortissimum autem est Vitriolicum; debilissimum, quod ex Vegetantibus habetur. Quid igitur? Si Vitrioli, Sulphuris, Aluminis, Acida, ut pote ejusdem omnia indolis, jungantur Salī communi, Ammoniaco, Nitro, Febrifugo Sylvii, Tartaro solibili, regenerato, & similibus? Quid? si ea ipsa Acida, laxiore in sede hærentia, Vitriolum, v. g. Alumen, &c. iisdem Salibus permisceantur. Constat hinc, quid de Tinctura Martis Zwelferi, quid de aliis hujus farinæ statuendum.

ν. Acida, præsertim Fossilia, ne temerè jungas quibusvis Metallicis aut Mineralibus: nascuntur enim miræ hinc quandoque mutationes; imò Venena sæpè violen-tissima. Mercurius Sublimatus, Ruber

Præcipitatus, Lapis Infernalis, Butyrum Antimonii, alia plurima, id loquuntur.

ξ. Idem corpus, alio atque alio Menstruo solutum extractumve, vires medicatas exserit diversissimas. Purgantium Vegetarium pleraque, cum Menstruo aquoso primus extracta, agunt felicissime; cum membrè Spirituoso terminalia sunt, & purgant parcius. (a). Antimonii Vitrum, vel Crocus, Vino vim Emeticam communicant non item Aquæ, Aceto destillato, Vino adusto, hujusve Alcoholi (b). Cuprum Acido solutum Emeticatum est; Alcali Volatili, Urinas pellit efficacissime; Sale Ammoniaco, fit Purgans per Alvum (c), &c.

103. Plura memoratis (102.) adferre possem: atque utinam omnia! Sed uti miscendi hodie & componendi nec modus est nec finis (72. i.); ita tamen longissime absit, quin oriundas inde alterationes ad amissim cognoscamus; utpote de quibus tum demum constabit accuratius, cum & naturalia simplicium principia, & mutuae singulorum ad se invicem habitudines, &

D 2

(a) Boulduc dans les Memoir. de l'Acad. Roy. 1701. p. 256.

(b) Lemery Traité de l'Antimoine. p. 413. &c. § 61. &c.

(c) Boerhaave Elem. Chem. Vol. II. p. 475. &c. seq.

52 DE FORMULIS IN SPECIE.

veri, quibus agunt, modi, plenè fuerint detecta.

104. Qui interim, non ignarus Chemiæ, miscelam adgreditur Medicamentorum Pharmaceuticam, vel ideo cautus erit; quia præ alio quovis novit, & mutationes stupendas è variorum mixtione nasci, & forte infinitas superesse nobis hactenus ignotas: neque enim omnium corporum inter se mutuò applicationes, quæ fieri possunt, omnes tentatæ sunt, nec tentatarum producta rite examinata.

DE FORMULIS IN SPECIE.

105. DOctrinæ commodæ distinctæque ratio probat receptam usu *Formularum* in *Internas* & *Externas* Diyisionem. *Internæ* Medicamenta præscribuut, quæ ori ingesta deglutiuntur: *Externæ* vero talia, quæ vel extrinsecus adplicantur, vel variis corporis partibus alio quocunque modo immittuntur. Eam igitur sequemur ut normam dicendorum, de *Internis* prius acturi.

DE FORMULIS MEDICAMENTORUM INTERNORUM.

De Pulvere interno.

106. PULVIS INTERNUS est Medicamentum siccum, uno vel pluribus in-

gredientibus, in parvas particulas, inter se non cohærentes, comminutis & æquabiliter mistis, constans.

107. Tenuitatis gradu trifariam is (106.) dividitur: ut sit ($\alpha.$) vel *Subtilissimus*, qui *Alcohol* audit; ($\beta.$) vel *Crasior*, quem *Grossum* vel *Trageam* vocant; ($\gamma.$) vel *Mediæ Subtilitatis*, qui simplici *Pulveris* vel *Specierum* nomine venit.

108. Natura materiæ in Pulveris forma exhibendæ; requisita ejus major minorve penetrabilitas; citior vel tardior, aut hanc illamve in partem determinanda actio; miscelæ magis minusve necessaria æquabilitas; facilis vel difficilis ægri deglutitio; præprioris indicant, quinam subtilitatis gradus (107.) conveniat. Hinc

Absorbentia, Duriora, Ingratiora, Resinosa, exactissime dividenda, altius penetratura, citius actura, &c. sæpe primum ($\alpha.$) postulant.

Aromatica, Volatilia, ut longo sub tritu, sic dein & diutius asservata, multum virtutis perdunt.

Sunt, quæ ruditer pulverisata Alvum, subtilius verò Urinas movent, &c.

109. MATERIEM Pulveri (106.) præbet, quidquid, interno usui aptum, vel ex se, vel sub aliorum miscela, informam siccam, pulverulentam, redigi potest: ut ideo nec liquida penitus hinc excludantur.

110. Unde huc recipiuntur ($\alpha.$) simplicia quævis Regni triplicis solida, sicca, pulverulenta, vel friabilia, interne usitata. ($\beta.$) Præparata & composita Officinalia similia. ($\gamma.$) Quin spissa etiam ($\alpha.$ & $\beta.$): ut Succi denfi, Extracta, Electuaria, &c. ($\delta.$) Imò & Liquida, Balsama v. g. Olea, &c.

111. DELECTUS interim habendus, ne promiscuè quævis congerantur. Quare nota.

$\alpha.$ Specifica leviora, simulque haud exigua Dosi efficacia, rarius ad Pulveres subtiliores (107. $\alpha.$ $\gamma.$) adhibentur: frequentissimè interim ad Grossos, seu Trageas (107. $\beta.$) Ejusmodi sunt Herbæ, Folia, Flores, &c. Neque tamen ideo illa quoque, quæ parva mole agunt, licet specificè leviora sint, excluduntur.

$\beta.$ Si verò transgredi regulam ($\alpha.$) jubet necessitas, curandum, ut intermixtis aliis, minore mole efficacibus, priorum inertiae succurratur.

$\gamma.$ Liquidis si uteris, memento quantitatem sufficientem siccorum interponere. De spissis & lentis idem obtinet.

$\delta.$ Gummata hinc sola vix in Pulvere danda: sunt enim & difficulter plerumque friabilia, & sub adsumtione per salivam disoluta facilè lentescunt.

$\epsilon.$ Mucilagine etiam plena aut Oleo, uti

funt multa Semina, nonnisi cum aliis aridioribus subiecta exhibeantur: lensor enim tritu evolutus in pastam cogitur, & morâ sœpe tanto citius rancescit.

ζ. Fœtida, si potes, apage! Commodius hæc pilulari forma ingeruntur.

η. Acriora, amarissima, aliove sapore molesta, si danda, saltem ne meraca des, sed lenioribus fracta. Cavebis sic faucium roSIONEM, nauseam, vomitum, aliquando subsequentes.

θ. Resinas ideo, præprimis acriores, Saccharo, Absorbentibus Terreis, Salibus appropriatis, quin & Olei idonei tantillo, subigere expedit; ut solubiliores redditæ in aëtum deducantur, nec partibus molestè adhærefscant.

ι. Præparata Mercurialia generosiora satius est Pilularum vel Boli, quam Pulveris, specie exhibere. Meraca saltem sic dare minus tutum: repugnat etiam Dosis sœpe parvitas. Addenda autem caute feligit. (86. 102. η. v.)

κ. Alcalina fixa, quo minus sola dentur, dissuadet urinosa acrimonia & facile deliquium.

λ. Alcalina volatilia, ut odore & sapore offendunt, ita citò in auras dissipantur minus exactè conservata.

μ. Sapores ingratos Saccharo, aut & in Trageis præcipue (107. β.), Confectioni-

bus Saccharatis, solidis, & similibus, corrigeret licet: Odores injucundos Oleis fragrantibus, quandoque Moschi Ambarique tantillo: utrique simul scopo adhibentur Elaeosacchara. Coloris gratiam conciliant Cinnabaris, Santalum rubrum, Auri foliola, &c. intermixta. Memor tamen cautelarum (85. 99. 100. 101.) his utere.

v. Simplicitatis studiosus ne congeras ultra 2, 3, summum 4, ingredientia, si minorem Pulveris quantitatem praescripturus es. In Trageis (107. β.), aliisque mole majoribus, auctior paulo numerus ferri potest.

112. ORDO in praestituendis Ingredientibus concinnior est, si Basi præmissæ (75.) Adjuvans (78.), tum Corrigens (83.), denique Constituens (86.), subjungitur juxta (57. δ.). Alias & Quantitas seriem digerit (57. γ.). Utrobius saltem speciei similitudo simul observanda (57. β.). Saccharum, si accedit, præcipue pondere ex reliquorum quantitate determinando, semper ordinem claudit (57. i.).

113. DOSIS (64.) Pulverum, præcipue (107. α. γ.), commoda est Drachma dimidia. Augetur tamen quandoque & ad Drachmam usque integrum; sed rarius, nec nisi ægris minus nauseantibus, aut speciebus ex se se ponderosioribus, vel admodum solubilibus. Ultra vix adscenditur: uti nec infra Scrupulum sit imminutio, nisi ingre-

dientia fuerint specificè leviora. Trageas interim (107. β.), utpote plerumque & diffusiores, & gratiores, vel ultra Drach. j. facile exhibueris: quin saepe dantur pondere non determinato, ad Cochlearium, Cultri apicem, &c. Ubique heic

α. Moles nimia, quo usque fieri potest, vitanda, maxime cum injucunda fuerit matieres, aut æger fastidiens, delicatior, vomituriens, deglutitione haud expedita laborans, &c.

β. Habenda ratio, uti omnium Conditionum (66.), ita maxime Ætatis tenerioris (ibid. γ.); ne Dosi hanc grandiore torqueas.

γ. Convenit hinc saepe Numerum potius, quam Molem, Doseum augere, juxta (67. δ. ε.); ut usu frequentiore, minus molesto, compensetur parvitas.

δ. Sunt tamen, quæ, Vehiculo commodo facile solubilia, ideo ad Drachmas aliquot pro Dosi exhibita, haud difficulteringeruntur. Salia hujus sunt classis. Ebs-hamense datur vel ad Unciam.

114. QUANTITAS GENERALIS (64.) in variis varia est. Trageæ (107. β.) ab $\frac{3}{2}$, ad j, ij, imo plures, præstituuntur. Evacuantum saepissime una saltem Dosis simul præscribitur: nisi cum animus fuerit continuo quodam tempore, aut per brevia intervalla, eidem operi instare. Alterantia, ut quandoque ad unam duasve

faltem Doses, ita frequenter ad 3ij, 3j, 3i*s*, præscribi simul solent. Nota tamen

α. Constantes heic limites in genere vix dari posse; determinari autem facile in casu singulari ex perspectis Ægri conditionibus, Ingredientium natura, Medici Indicatione, &c. Confer (67. *α* ad μ. 68. 92. *δ*.).

β. Maxime quidem in hac Formula curandum esse, ut Quantitas Generalis per pondus Dosis, sine residuo, divisibilis sit, si discretio in Doses certi ponderis à Pharmacopœo perficienda exigitur (68. *γ*.).

γ. Quandoque, ubi a minus accurata Generosiorum divisione periculum timendum, consultius esse, ut singulas Doses seorsim adaptare jubeatur Pharmacopœus: quod uti fiat, postea in Subscriptione trademus.

115. PROPORTIO Ingredientium mutua, si plura miscentur, determinatur ex Dosi efficace singulorum (66.), ex Dosi Pulveris stabilita (113.), & denique ex Quantitate Generali, quam Medicus præscribere in animo habet (114.). Ergo

α. De singulis tantum cape, ut quantitates omnium computatae constituant Remedium intento scopo par, cuius Dosis & Quantitas Generalis nec major nec minor sit, quam requiritur.

β. Si Ingredientium Dosis efficax excedit justam Pulveris Dosin (113.); velutere regula (ibid. *γ*.) data, vel additis, quæ mino-

re mole agunt, vim illorum auge (80.)
quod in specifice levioribus notandum
(111. a. β.).

γ. Si contra Dosis efficacis volumen lon-
ge minus est commoda Dosi Pulveris (113.);
idoneo Constituente (86. 91.) intermixto in
aptam ea molem diffunde: quod in Emeti-
cis, Opiatis, Metallicis, &c. sæpe requi-
ritur.

δ. Dum Liquida adhibes, memento re-
gulæ (111. γ.)

ε. Sacchari quantitas, maxime in diffu-
soribus Trageis (107. β.), sæper reliquorum
ponderi æqualis, hujusve dupla, imo tri-
pla, præstituitur.

ζ. Ubique tamen, mutationibus Virium
aliarumque qualitatum, ex miscela oriun-
dis (94. ad 102.), intentus cave, ne scopo
excidas, aut profuturus lædas.

116. SUBSCRIPTIO (59.) exponit Pul-
veris Præparationem, Divisionem, & Re-
ceptaculum.

117. *Præparatio* tritu absolvitur, &, si
plura ingrediuntur, mixtione. Injungitur
autem hisce verbis: *F.* vel *M. F.* *Pulvis*
(59. α. β.). Additur *Grossus*, aut una voce,
Tragea, si talis expetitur: si tenuissimus,
hoc quoque, aut, loco Pulveris, *Alcobel*
adscribitur (107.). Quandoque insuper
monetur, miscelam & tritum diu, citò,
æquabiliter, mortario tecto, esse perficien-

dum, si ita postulat natura materiei. (108.)

118. *Divisio Pulveris* in suas Doses si a Pharmacopœo exigitur; subjungendum prioribus (117.): *Divide in tot partes æquales.* Nec omittenda quandoque in Draſtis-
cis ſolicita monitio, ut partitio fiat exæcti-
fima: quin cautiōres tum ſaltem unicam
præſcribunt Dofin, hancque toties, quoſ
Doses expertunt, ſingulatim confici jubent,
adſcribendo: *Fiat idem bis, ter, &c.* (114.
γ.). Nullo horum opus eſt, ubi Dofispon-
dere haud determinatur (113.), aut ægro
vel adſtantibus dimetienda committitur.

119. *Receptaculo* alia alio egent: ejus hinc,
maxime ſi curatiore opus, facienda mentio.
Volatilia, aëre liqueſcentia, in Vitrī ſer-
vantur. Pulveres in suas Doses divisi Char-
tulis induuntur: alii Capsis, vel, ut vocant,
Scatulis. Adſcribitur ergo: *D. in Vitro,*
Chartis, Scatula. Subjungitur, ſi Nebula
pro *Vehiculo* erit: *cum Nebula* vel *Nebulis.*

120. **SIGNATURA** Titulum ponit Pul-
veris, tam Dofin, Vehiculum, Tempus
ingerendi, Regimen, &c. juxta ea, quæ
dieta ſunt (60.α.β.γ.&c.). Ergo

121. *Titulus* ſit: v. g. *Pulvis*, vel *Pulve-
res*, vel *Tragea*: addita dein virtute: v. g.
Absorbens, *Pectoralis*, &c. obſervatis ſimul
cautelis (60.η.δ.).

122. *Dofis* vel committitur ægro dime-
tienda pondere, mensurave minus exæcta

(60. et 113.), scribendo v. g. *Sumatur Drachm.*
j., vel *ss.*, vel *quantum Digitabulo*, *Cultri*
apice, *Cochleari*, &c. *capi potest*. Si vero
 a Pharmacopœo jam divisi exhibentur Pul-
 veres (118.); sufficit scribere v. g. *Capiatur*
una Dosis.

123. *Vehiculo utimur vario.*

α. Trageis quandoque nullo opus est,
 utpote ex se sat gratis (115. e.): sæpe tamen
 Panis Medicatus, Saccharatus, Biscoctus,
 tostus vulgaris, Vino Generoso, Rhenano,
 Hispanico, Rubro Gallico, Hydromelle,
 &c. imbutus, cui iusta dein Trageæ quan-
 titas inspergitur, heic usu venit.

β. Pulveribus aliis Nebula sæpe pro Ve-
 hiculo est; quippe qua madefacta involutus
 Pulvis, vix affecto Gustus organo, per
 fauces labitur. Monetur tum in Subscrip-
 tione Pharmacopœiis, ut totidem Nebu-
 las, quot sunt Doses, simul exhibeat (119.);
 in Signatura autem illarum usus exponitur.

γ. Liquidi tamen Vehiculi crebrior est
 usus quod dotibus (60. λ.) memoratis præ-
 ditum requiritur. Unde

1. Ad Pulveres Alcalinos, aut ex Absor-
 bentibus Acidi constatos, haud adhibe Ve-
 hiculum acidum; ne concitata Effervescen-
 tia nauseam parias, aut virtutem destruas
 (102. α. β.). Est tamen, ubi ex composito
 talia conjunguntur: uti in Antemetico Ri-
 veriano.

2. A nimis Pingui abstine : plerisque enim uti ingratum est, ita & vires saepe Remedii obtundit: quod circa Carnium Juscula notandum.

3. Calidum, tepidum, frigidum, an adhibendum sit Vehiculum, quandoque monere expedit. Pinguiscula aetate frigida plurimis nauseosa. Tepida vomituros juvant. Calida Gummosos Pulveres in grumos cogunt; Volatiles dissipant; Ingratiiores magis evolvunt; flatus carent & spasmos Hystericis. Ipsa etiam liquidi natura, receptus utendi modus, & aegri consuetudo, quandoque limites heic figunt.

124. *Tempora* demum, & *Regimen*, circa usum observanda adscribuntur varia, pro Indicationum varietate (60. n. μ.); quibus exponendis heic locus non est (7. a.).

125. Usus Pulveris pene universalis est, & evacuandi & alterandi scopo accommodatus. Videndum modo, an Morbi indoles, sedes, symptomata, Aegri temperies, consuetudo, ipsiusque Auxilii indicati natura, isthuic Formulæ non repugnant (35. 43. ad 48. 109. 110. 111.). Difficultas aut impotentia deglutiendi in Angina, Ulceribus Faucium, Apoplexia, Epilepsia, Syncope, &c. Pulveris usum vetant.

126. SPECIMINA haec sunt.

Pulvis Emeticus pro * * * Adulto nimia cibi copia replete.

Rx. *Tart. Emetic.* gr. v.
Resin. Jalapp. gr. iii.
Sacch. Albiss. Scrup. j.
 M. F. Pulvis.

S. *Pulvis Emeticus cum Cerevisia calida sumendus pro una Dosi.*

* * *
 Purgans pro Adulto.
 Rx. *Resin. Jalapp.* gr. x.
Elaeosacch. Fænicul. gr. xxv.
 M. terendo diu, F. Pulvis.

S. *Pulvis Purgans, pro Dosi, mane cum Infuso Caffe sumendus.*

* * *
 Alius in Cancro nondum Exulcerato.
 Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 110.
 Rx. *Resin. Jalapp.* gr. vij.
Diagrydii. gr. viij.
Stibii Diaphoret. non ablut. gr. xxiv.
 M. F. Pulvis.

S. Ut prior.

* * *
 Alius in Scorbuti initio. Ibid. p. 184.
 Rx. *Tard. Vitriol.* non acid.
Crystall. Tartar.
Sal. Polychrest. ana drach. f.

M. F. Pulvis.
 S. *Pulvis Purgans mane ex Sero Lact. hau- riendus : superbibantur dein Seri Lact.*
 Unc. xij.

* * *

Alius Antihelminticus pro Infante.

Vid. Eund. p. 234.

R. *Aloës* gr. iij.

Resin Falapp. gr. j.

Vitriol. Mart. gr. ij.

M. F. Pulvis.

S. *Mane, jejuno stomacho, prouina dosi sumatur.*

* * *

Pulvis Resolvens, Antipyreticus, in Peripneumonia. Ibid. p. 148.

R. *Flor. Sulphuris* drach. ij.

Olibani scrup. j.

Spermat. Ceti drach. β.

Stibii Diaphoret. non ablut. drach. j.

M. F. Pulvis, dividendus in xij doses.

S. *Sumat unam omni hora cum unc. j. Mifuræ* ibid. p. 147. *præscriptæ.*

* * *

Pulvis Stimulans & Resolvens. ibid. p. 43.

R. *Ol. destill. Menth.*

Majoran.

Tanacet. ana gutt. vi.

Sacch. alb. sicciss. unc. j.

F. f. a. *Elaeosaccharum*, cui admisce

Rad. Zingib. alb.

Cort. Magellanic. ana unc. β.

S. *ut in fronte. Capiat Drach. β. ter de die ex Vino.*

Tragea

* * *

Tragea Peptica, Ventriculo debili, fri-
gido, apta.

Rx. Specier. Diagalang. unc. β.

Rad. Gentianæ

Cort. Winteranor.

Myrrh. rubræ ana drach. j.

Confect. Sem. Coriandr.

Rad. Calam. arom. anadrach. iiiij.

Sacch. albiss. unc. j.

M. F. Pulvis, dandus in Scatula.

S. Tragea Stomachica: de qua Cochlear. β.

Pani biscocto, Vino Hispanico imbuto,
inspersum capiat post pastum.

* * *

Pulvis Narcoticus in Peripneumonia.

Vide H. Boerh. Mat. Med. p. 145.

Rx. Opii lamellatim tenuiter scissi & lente
exsiccati. gr. j.

Corall. rubr. gr. xij.

Olibani. gr. vj.

M. F. Pulvis tenuis, quavis vespera
iterandus.

S. Pulvis Pacans, vesperi ante somnum sumendus.

* * *

Pulvis Antacidus.

Rx. Lap. Cancror. ppt.

Osteocoll.

Cretæ

Conch. Ostreor. calcin.

Corall. rubr. ppt. ana drach. iiij.

Rad. Zedoar.

Nuc. Myristic. ana drach. iß

*M. F. Pulvis tenuissimus, detur in
Scatula.*

*S. Pulvis Temperans. Sumatur, quantum
apice cultri capi potest, Acido infestante.*

De Bolo.

127. **B**OLUS est Medicamentum internum, molle, cohærens, Melle paullò spissius, Buccellæ quantitate definitum: unde & *Buccella* quibusdam audit.

128. MATERIEM ei (127.) præbet, quidquid interno usui aptum, vel ex se, vel permixtione aliorum, consistentiæ dictæ capax est. Quare huc recipi possunt,

α. Sicca omnia, minore Dosi efficacia, Pulveri constituendo idonea (110. 111.). Vocantur hæc *Excipienda*, & sola inepta sunt.

β. Mollia, magis minusve spissa: Conservæ, Electuaria, Extracta mollia, Rob, Pulpæ, Confectiones molles, Balsama densiora, nativa, arte facta, Unguenta potabilia, Syrupi, &c. *Excipientia* hæc audiunt; quia prioribus (α.) mixta Boli formam (127.) constituunt: quia & eorum aliqua hanc ipsam ex se habent.

γ. Liquida contractiora: uti Balsama liquida, nativa, artefacta, Olea, Spiritus, Tincturæ, Essentiæ, Elixir, &c. Hæc

itidem ex se inepta vel *Excipiuntur* aliis, vel
hæc *Excipiunt* tanquam accessoria.

129. D E L E C T U M Materiæ (128.) limi-
tant sequentia.

α. Laudatur in Bolo maximè Cohæsio
non diffluens, Mollities, & Miscela æqua-
bilis.

β Hinc Sicca (128. *α.*), aut Liquida
(*γ.*), sola non conveniunt: sed Molle quid
(*β*), glutinantis loco, intercedat oportet.

γ. Mollium etiam (128. *β.*) pleraque
Sicci accessu spissanda sunt, ut Bolum for-
ment. Nonnulla tamen ex se sola sufficiunt:
uti Conservæ, Electuaria & Rob, spissiora.
Hujusmodi igitur opus in Bolo Simpli-
ce (62.).

δ. Ingredientia omnia ejusmodi sint, ut
inter se misceri queant in compositum æ-
quabile.

ε. Acria, Odore vel Sapore molesta,
Viscida, heic potius, quam in Pulvere
(111.), locum habent; cum magis tegi
queant. Unde & Mercurialibus draſticis
forma hæc commodior.

ζ. Pinguia, Balsama v. g. Unguenta po-
tabilia, Saccharo, aliisve siccis intertritis
dividere expedit, ut facilius ingeri solviqe
in Ventriculo possint.

η. Sales Alcalini fixi & volatiles, aliive
cito liqueſcentes, in Bolos aliquamdiu con-
ſervandos haud recipiantur: deliquio enim

justa consistentia, exhalatione virtus, perit.

§. Ideo nec inter se effervescentia, aut facile fermentantia, huc quadrant, nisi cum ingestio præparationem statim sequitur.

i. Ingredientium numerus vix unquam ultra 3 vel 4 augeatur.

130. **O**RDO, in præscribendis Ingredientibus heic usitator, Excipiens (128. β.) determinatæ quantitatis primo ponere loco jubet: dein Excienda Sicca (ibid. α.); post Liquida (ibid. γ.); tandem, si quod accedit, Excipiens, cuius quantitas Pharmacopœo relinquitur determinanda.

131. **D**OSIS (64.) Boli a Drach. j. ad iβ. vel ij. usque extenditur, haud temerè ulterius augenda, nisi cum specificè ponderofiora recipiuntur, ægerve in adsumendo haud difficilis est. Imo vix Drachmâ major sit, si ex levioribus conflatur. Unde, ubi Ingredientium Dosis efficax hos limites excedit, satius est, massam in plures Bolos dispescere, quam offa grandiore præfocare ægrum. Compendium, uti Pulverem (113. α.), sic & vel magis etiam Bolum commendat. Nimiâ hinc parvitate heic vix peccatur; licet ne Scrupulum quidem superet Buccella.

132. **Q**UANTITAS GENERALIS (64.) saepissimè unam saltē, aut duas, raro plures, quam tres vel quatuor, Doses (131.) complectitur, nisi cum perbrevibus inter-

vallis capi debent. Quum enim a Pharmacopœo jam partitæ exhibeantur; facile vel nimis siccescunt, vel deliquescunt, adservatæ diutius. Qui ergo Numerum Dosiū Molemque (131.) inter se multiplicat, quantum simul præscribendum sit, novit.

133. PROPORTIO mutua Ingredientium ex varia horum consistentia & efficacia determinatur. Confer (87. 115.). Unde haud eadem obtinet in omnibus.

α. Si Mollia (128. *β.* 129. *γ.*), ex se formando Bolo apta, sola recipiuntur, Proportio invenitur ex singulorum Dosi efficace (66.), Dosique Boli (131.), cognitis. Consistentia enim tum nihil limitat.

β. Ubi Sicca (128. *α.*) excipi debent, horum pro Dosi Drach. *β.* Scrup. ij. summum Drach. j, capienda. Excipientium verò (128. *β.*) varia tum requiritur Proportio, prout magis minusve spissa fuerint.

Conservæ, hunc in finem usitatissimæ; Electuaria; Mel; Balsama spissa, & Unguentæ, a Scrup. ij. ad Drach. j. i*β.* sumuntur.

Rob; Pulpæ; Confectiones molles, a Drach. *β.* ad j. Scrup. iv.

Syrupi, utpote liquidiores, a Scrup. j. ad Drach. *β.* vel j.

Scilicet, posita Siccorum mole eadem, tanto exigitur ad ea subigenda minor Excipientium quantitas, quo hæc sunt liquidiora.

γ. Hinc patet, ubi Siccorum moles mi-

nor est, Excipientia spissiora adhiberi commodius; ubi vero major, dilutiora: ne Boli Dosis (131.) justo plus augeatur.

δ. Quodsi prioribus (β.) etiam accedant Liquida (128.γ.), horum vix ultra gutt. j, ij, iij, summum iv, pro singulis Bolis recipitur. Tum vero minuenda pro rata Excipientium mollium proportio.

ε. Alias &, Siccis Liquidisque quantitate determinata (β.δ.) saltem præstitutis, Excipientium mollium quantitas arbitrio Pharmacopœi relinquitur, scribendo: q. s. (68. §. 7.). Quæ tamen methodus adhiberi nequit, si horum Dosis efficax limitatior est.

ζ. Frequentissimè autem, si Siccorum moles paullò major est, aut Excipiens Primarium desideratur spissius parciusque; ut ideo dubium sit, an sat mollicula inde Boli consistentia emergere queat; alijs Secundarii, liquidioris, v.g. Syrupi, q.s. superadditur.

η. Contra, ubi nimia Boli prævidetur mollities (129.α.), Sacchari, Pulveris Liquidirit. & similiū adpropriatorum q. s. adjungi solet: quod quidem maximè in Terebinthinaceis sinceris, &c. obtinet.

134. SUBSCRIPTIO ita habet: *M. F. Bolus vel Boli No ij, iij, &c. Quoad Divisionem, eadem nonnunquam heic cautela adhibetur, qualis circa Pulveres (118.), inde repetenda. Aliquando, ornatus aut*

commodæ ingestionis gratia, injungitur simul: *Auri folio*, aut *Nebula obvolvatur*; aut *exhibeatur cum Nebula*. Confer. (119.). *Receptaculum* plerumque est *Vasculum fictile* porcellanum, aut *Charta*: cuius tamen commemoratione vix opus.

135. *SIGNATURA* ex dictis (120 ad 125.) facile intelligitur. *Nebulam* alii pro *Vehiculo* amant; alii *Liquidum*, quo *Bolum* prius dissolvant. *Juvat & Liquorem idoneum* dare superbibendum, si *Boli* tardior aut difficilior in *Ventriculo* metuitur dissolutio: quod circa *Terebinthinacea* & similia maxime notandum.

136. *Usus* est, qualis *Pulverum* (125.); minus tamen frequens: haud enim adeo expedite semper agunt *Boli*, ac quandoque requiritur (135.). *Gratificamur* hac forma iis, qui varietate, aut *Bolo* magis, quam *Pulvere*, delectantur.

137. *SPECIMINA* hæc sunt.

* * *

Bolus Emeticus pro *Adulto*.

Rx. Vitrioli alb. gr. xxv.

Rob. Juniper. q. f.

M.F. Bolus. Detur cum *Nebula*.

S. Bolus Emeticus, ex pauxillo *Cerevisiae* aut *Infusi Theae viridis* hauriendus: post quamlibet vomitionem superbibantur *Cyathi aliquot Infusi ejusdem tepidi*.

* * *

Bolus Purgans in Anxietate Febrili.

Vid. Boerh. Mat. Med. p. 124.

℞. *Eleetuar. Diaprun. Sylv. drach. ij.**Fol. Senn. Pulv. scrup. j.***M. F. Bolus.**

* * *

Bolus Antihystericus.℞. *Mithridat. Damocr. drach. j.**Troch. de Myrrb. scrup. ss.**Ol. Stillat. Succin. gutt. ii.***M. F. Bolus, Auri folio obducendus.****S. Bolus Pacans cum Aquæ Pulegii Cyatho sumendus.**

* * *

Boli Balsamici.

Vid. Harris de Morb. Infant. Lib. II. Obs. II.

℞. *Terebinth. e Chio drach. ij.**Pulv. Liquirit. q. s.***M. F. Boli No ij.****S. Boli Nervini, quorum alter mane, alter vesperi, ex Vitello Ovi recentis sumatur, superbibendo singulis Aquæ Lact. Alexiter.****Unc. ij.**

* * *

Boli Sialogogi.

Vid. Boerh. Mat. Med. p. 251.

℞. *Conserv. Rosar. rubr. drach. ss.**Mercurii dulc. trit. gr. ix.***M. F. Bolus : cui similes duo alii, seor-**

sim confecti, exhibeantur cum totidem Nebulis.

S. *Boli Aperientes, quorum unum singulis quadriborii capiat æger, corpore prius Ptisana adpropriata bene impleto.*

* * *

Boli adstringentes

R. *Rob Cornor. drach. iij.*

Extract. Tormentill. drach. j.

Boli Armen. lævig. scrup. ij.

Lap. Hæmat. ppt. drach. ss.

Syr. Myrtin. q. s.

M. F. Boli No iv.

S. *Boli Adstringentes. Capiat omni triborio unum ex tantillo Vini rubri, austriusculi.*

De Electuario.

138. *ELECTUARIUM, rarius Mistura, frequentius ab ingredientibus Conditis Conditum, ab Opio Opiata, dictum, est Medicamentum internum, Bolo (127.) simile, paullo tamen mollius, & pluribus unâ Dosibus, a Pharmacopœo non dividendis, præscriptum.*

139. MATERIEM agnoscit eandem, quam Bolus (128.). Accedunt saltem Conditurae; utpote quæ frequentius ad Electuaria recipiuntur.

140. DELECTUS quoque idem fere, qui (129.), hæc tamen peculiaria sibi vendicat.

α. Odore, Sapore, Colore, injucunda
magis heic vitanda, ob usum c̄ebriorem.

β. Deliquescentia, Exhalantia, Putre-
scentia, Effervescentia, facile Fermentan-
tia, aut Acescentia, tanto minus conve-
niunt, quo & mollities heic major & adser-
vatio longior requiritur.

γ. Ob easdem rationes miscela etiam exi-
gitur accuratissima, tritu Pulverum exactio-
re, subactione Pinguium, Resinosorum,
Balsamicorum, per Vitellum Ovi, &c.
perficienda; ne mora secedant.

δ. Hinc &, si specificè graviora recipi-
untur, paullo spissior consistentia ex usu est.

ε. Draſtica quoque, maximè Metallica &
Mercurialia, ideo absint; ne vel mistione
minus æquabili, vel secessu per moram, vel
minus curiosa Dosis partitione, quæ heic
plerumque ægris vel adstantibus committi-
tur, periculum inferatur.

ζ. Numerus Ingredientium paullò qui-
dem major, quam in Bolo (129. t.), fer-
ri potest: ne tamen nimius sit (29.).

η. Auri Argentive folia, ornatus ergo,
quandoque intermifcentur; quibus, qui
volet, utatur, memor interim regulæ
(85. e.).

141. *ORDO*, vix aliis, quam in Bolo
(130.), Mollia pondere determinata pri-
mo ponit loco, tum Sicca, Liquida dein,
tandemque ea, quorum saltem quantitas

sufficiens præscribitur. Sponte hinc pater,
Mollium si nullum pondere determinato
accedat, Siccis primum deberi locum,

142. Dosis, haud temerè Bolo major
(131.) constituenda, rarius pondere defi-
nitur, ut plurimum mole, v. g. ad Nucis
Avellanæ, Juglandis, Moschatæ, Casta-
neæ, magnitudinem, aut quantum Coch-
leari, vel Cultri apice, capi potest, &c.
Quandoque saltem totum portionibus ali-
quot, v. g. 3. 4. 5. &c. per intervalla cer-
ta ingerendum jubetur. Tum tamen ca-
vendum itidem, ne portio quæque Buc-
cellam excedat.

143. QUANTITAS GENERALIS vix mi-
nor Unciā præscribitur, nec facile Unciis
iv vel v major: prout usum magis minusve
frequentem aut diuturnum postulat Indica-
tio. Moles grandior, diutius adservata,
sæpe vel nimium spissescit, vel liquefecit,
aliove modo corrumpitur.

144. PROPORTIO Ingredientium, ob
molliorem Electuarii, quam Boli, consi-
stentiam (138.), paullò alia, quam (133.),
sequentibus limitatur.

α. Prout Excipientium (128. β.) varia
est consistentia, ita eorum plus minusve ad
eandem Siccorum (128. α.) quantitatem
excipiendam requiritur. Hinc, posita Sic-
corum v. g. Drach. j., si Excipientia sunt
spissiora, uti Conservæ, Electuaria Officin.

&c, opus erit horum Uncia j: si minus spissa, v. g. Rob, Pulpa, Mel, Confectio mollis, &c, drach. iij: si liquidiora, ut Syrupi, Drach. ij. sufficient. Confer (133. β.).

β. Ubi ergo variæ consistentiæ recipiuntur Excipientia, facile ex modo dictis (α.) determinatur cuiuslibet Proportio. Tum vero usitatissimum est, Spissorum saltem definita quantitate, Liquidiorum modo q. s. subiungere, juxta (133. ζ.).

γ. Liquidorum meraciorum (128. γ.), si adduntur, Proportio intelligitur ex dictis (133. δ.), collatis ad Electuarii præscribendi Dosis & Quantitatem Generalem (142. 143.). Excipientium tunc moles pro rata imminui, aut Siccorum augeri debet.

δ. Auri Argentive folia No j. vel ij. sufficient pro totius massæ quantitate (143.).

ε. Quandoque solito mollius mavult æger Electuarium; ut commodius dilui in gerique possit. Obtinetur id facile aucta præprimis Liquidiorum Excipientium quantitate (α. β.), monitoque Pharmacopœo in Subscriptione, si huic illorum quantitas determinanda relinquitur.

ζ. Cæterum heic quoque locum habent dicta (133. γ. ε. ζ. η.), quæ inde repetantur.

145. SUBSCRIPTIO injungit simpliciter: *M. vel M.F. Electuarium*, vel, si Condita

accedunt, *Conditum* (138. 139.). Additur (*molle*), si tale expetitur (144. e.). Vas fictile, album, *Receptaculi loco servit*, quod adponi, si libuerit, potest.

146. SIGNATURA ex (135. 138. 142.) sponte patet. Nonnunquam saltem heic monendum, ut ante usum agiterur massa; maximè, si specifice ponderosiora, aut facile a se mutuo secedentia, ingrediantur.

147. USUS idem est, qui Boli (136.), *Hystericis insuper grandiore dulcium mole nonnunquam minus aptus.*

148. SPECIMINA hæc sunt.

* * *

Electuarium Antihelminticum.

Vide H. Bœrh. Mat. Med. p. 230.

R. Sem. *Absinth. vulg.*

Santonic.

Tanacet. ana drach. ij.

Mellis unc. ij.

M.

S. *Sumat Drach. ij. omni mane.*

* * *

Aliud purgans Antiphlogisticum. Ibid. p. 86.

R. *Tamarind. elect. Pulp.* unc. ij

Crystall. Tartar. minutim pulver.

drach. ij

M.

S. *Capiat omni 158 horæ Drach. j., donec commode purgetur.*

* * *
Aliud Stipticum, incrassans.

Rx. Conserv. Ros. Rubr. unc. ij.

Mivæ Cydonior. unc j

Flor. Granat. drach. iß.

Boli Armen. lævig. drach. ij.

Lap. Hæmatit. ppt. drach. j.

Syr. Myrtin. q. f.

M. F. Conditum. D. ad fictile album.

S. Conditum Adstringens, de quo ter vel quater de die ad Castaneæ magnitudinem capiatur.

* * *
Excitans in Febrili Languore. Ibid. p. 119.

Rx. Confect. Alkerm. drach. j.

Zingib. condit. drach. vj.

Rad. Contrayerv.

Serpentari. Virgin. ana drach. j.

Syrup. V. Radic. Aperient. q. f.

Ut F. Conditum.

S. Capiat Drach. ß. omni quadriborio.

* * *
Opiata Aphrodisiaca.

Rx. Electuar. de Satyrio unc. iß.

Theriac. Andromach. drach. vj.

Confect. Sem. Erucæ. drach. iiij.

Troch. de Viperis.

Borac. Venet. ana drach. ij.

Essent. Ambari liquid. gutt. xxx.

Syrup. Condit. Zingiber. q. f.

M. F. Opiata.

S. *Opiata Roborans.* Capiatur *Cochleare* ss.
pro necessitate.

* * *

Electuarium Antifebrile.

Rx. *Cort. Peruvian.* opt. unc. β .

Sal Polychrest. drach. ij.

Syr. V. Rad. Aperient. q. f.

M. F. Electuarium.

S. *Sumatur, tempore Apyrexias, omni biborio octava pars totius, ex Vino.*

* * *

Aliud Aperiens & Detergens in Peripneumonia Suppurata. Vide l. c. p. 145.

Rx. *Myrrhae.*

Olibani. ana drach. j.

Mellis albi. unc. ij.

M. f. a.

S. *Sumat drach. j. omni hora.*

De Eclegmate.

149. **E**CLEGMA, *Linctus, Looh,* vocatur Medicamentum internum, Electuario (138.) liquidius, crassioris instar Syrupi lentè diffluens, ex mollioribus compositum, quod per vices linctum, ore detentum, sensim liquefscens, degluritur.

150. MATERIES eadem fere est, quæ Electuarii (139.), vel Boli (128.). Accedunt insuper Looh Officinalia, Olea pressa blandiora, Mucilagines, Vitelli Ovarum, quandoque & Aquæ stillatitiae.

151. DELECTUS interim notare jubet.

α. Tenerima requiri, aut facile liquefcentia, si quæ ingrediuntur, sicca vel solida (128. α.); ne apta Linctui mollities (149.) pervertatur: sœpissime hinc abesse penitus.

β. Ideo & rarius huc recipi Conservas & Condita: trajectu tamen per Setaceum aptari posse delicioribus.

γ. Draſtica vix tuto ingredi; cum & facilior secessus, & Dosis Linctūs ad stateram haud exæcta, nihil promittant certi. Verum nec scopus talia heic exigit.

δ. Acria, odore & sapore ingrata, si uspiam, heic vetari; cum lenta Linctūs deglutitio, isthæc evolvens magis, usum reddit moleſtissimum.

ε. Pinguia, Mucilaginosa, ut frequenter heic adhibentur, ita cavendum, ne rancida sint, aliove modo corrupta: quod facile evenit Officinalibus diu adservatis.

ζ. Vitellum Ovi subigendis Oleosis ad prime convenire: cui proximum Saccharum, Mel, & ex his confecta.

η. Numerum Ingredientium esse, quallem Boli (129. η.).

152. ORDO in præscribenda Materie vix datur ullus constans. Quæ subigendis difficulter solubilibus (151. ζ.) serviunt, his proximè adjungito, cæterum observans regulas (57. β. γ. ε.).

153. Do-

153. Dosis rarius pondere præstituitur: nec tunc Unc. $\beta.$ excedit. Usitator est vulgaris vel parvi Cochlearis mensura, aut quantum Baculo Liquiritiæ capi potest.

154. QUANTITAS GENERALIS, eadem fere, quæ Electuarii (132.), vix unquam Unc. $vj.$ superat; nisi cum usus frequentissime repetendus sat celerem facit consumptionem. Saccharorum facilis fermentatio, Pinguium & Mucilaginosorum corruptio, calida præprimis tempestate majorem molem simul præscribere vetant.

155. PROPORTIO maximè ex cognita Ingredientium ipsiusque Eclegmatis (149.) consistentia definitur. Hinc

a. Ex Looh Officinalibus, Melle, Cremore Lactis, Vitellis, Confectionibus molibus, Syrupis, & quæ ad horum lentorem accedunt, Mucilaginibus, Oleis pressis, blandis, & similibus, quacunque fere proportione junctis, Linetus exsurgit. Virtus rum medicata singulorum, Pretium, & alia (66. *a* ad $\pi.$) limites figunt. Saponum modo satis sit ad subigenda Pingua (151.*g.*) Vitelli fere subtriplo, Mellis aut Sacchari plus requiritur.

b. Conservæ, Electuaria, Pulpæ, triplo vel quadruplo diluentis Syrupi fere exigunt: Sicca octuplo. Unde utrumque simul ingredientium proportio patet. Ubi autem Setaceo arcentur partes

Solidæ de Siccis aut Conservis (151. β.), major eorum quantitas recipi potest.

γ. Olea stillatitia, Balsama liquida, Elixir, Essentiæ, Tincturæ, Spiritus, & similia efficaciora, Dosi restrictiore, ut in Electuariis (144. γ.), accedunt, vix ideo mutata reliquorum proportione.

δ. Aquæ stillatitiæ, cum nimia metuitur crassities, addenda quantitas Pharmacopœi relinquitur arbitrio: quo fine frequentius etiam Syrupi q. s. adhibetur. Dilutior consistens Sacchari q. s. cogi potest.

ε. Haud tamen adeo proprius est Linctui consistentiæ gradus (149.), quin sæpiuscule ultra vel citra excedatur: ut hinc nec proportionum leges modò exhibetæ inviolabiles sint. Metus divertii Pinguium paulo majorem quandoque suadet crassitiem.

156. SUBSCRIPTIO jubet: *M. F. Linctus.* Trajectu per Setaceum si opus, is ante injungitur. Cum difficulter miscibilia accedunt, exactior commendanda subactio. Fictile pro Receptaculo est: quod addi potest. Baculus Liquiritiæ, rarus, altero extremo conrusus, quandoque Dosis veluti determinat, de quo in Eclegma intecto lingitur. Subjungitur ergo: *Detur ad Fictile cum Bacillo Liquiritiae.*

157. SIGNATURA, præter communia, quæ ex (120. 121. 122. 146.) patent, injungit saltem, assiduo, vel certis temporum

intervallis, portionem (153.) ore continen-
dam esse; ut lente liquefcens deglutiatur.
Si per moram divortii metus est, agitatio
ante usum instituenda præcipitur.

158. Usus in morbis tantum, internas
Oris partes, Fauces, Oesophagum, La-
ryngem, Trachæam, Bronchia, infestan-
tibus, viget: frequens hinc est in Aphthis,
Tussi, Peripneumonia; Phthisi, &c. sco-
po emolliendi, demulcendi, adstringendi,
&c. rarior in aliis.

159. SPECIMINA sumto.

* * *

**Linctus ad Sputa suppressa in Peripneumo-
nia.** Vide H. Boerh. Mat. Med. p. 148.

Rx. Olei Amygdal. dulc. recens press.
unc. iij.

Syrupi Violar.

Mell. Virgin.

Vitell. Ovi recent. ana unc. jj.

M. accurate.

S. Lingat Unc. jj. omni horâ, donec Sputa
redeant.

* * *

**Alius ad partes Aphthis delapsis excoria-
tas.** Ibid. p. 170.

Rx. Syrup. Papav. alb.

Cremor Lact. dule. ana unc. iiij.

Vitell. Ovorum No ii.

Aq. stillat. Rosar. unc. iiij.

M.

S. *Hujus pauxillum ore assiduo contineat.*

Alius Tussim leniens.

R. *Loob sani & expert.*

Syr. *Diacod.*

Mucilag. Rad. Altheæ Aq. Rosar.
extract. ana unc. j.

Spermat. Cet. Vit. Ovi solut. drach. j.

Sacch. crystall. q. f.

*M. F. Linctus. Detur in Fictili cum
Baculo Liquiritiæ.*

S. *Lampat sèpius, cum Tussis urget.*

Alius incrassans Sydenhami.

R. *Conserv. Ros. rubr.*

Syr. *Violar.*

de Meconio ana unc. j.

Sem. Papav. alb. drach. iiij.

*Contusis simul, & per Setaceum
trajectis, adde*

Ol. Nuc. Moschat. express. gr. vij.

F. Eclegma.

S. *Ut supra.*

De Pilulis.

160. PILULA, alias *Catapotium*, est Medi-
camentum internum, siccum,
pressu tamen sequax, ex materie cohæren-
te in globuli formam coactum.

161. MATERIEM exhibet, quidquid, interno usu probatum, vel ex se, vel mixtu aliorum, in justam Pilulæ consistentiam (160.) denseri aptum est. Quare generatim eadem, quæ (110.) enumerata sunt, heic adhibentur.

162. DELECTUM tamen diversum ordinant cohæsio heic requisita, Dosis parvitas, & forma minus evoluta. Hinc

α. Ingredientium alia vocantur *Excipientia*, alia *Excipienda*. Confer (86. 128.). Hæc enim, utpote primaria, sæpiissime ejusmodi sunt, ut sola, sine addito, in Pilulam (160.) apte cogi vix queant.

β. *Excipienda* sunt vel (1.) Sicca Cohærentia: uti Gummi, Gummi-resinæ, Resinæ, Extracta solida, Succi densi, Massæ pilulares, Officinales, Sapones solidi, Trochisci efficaciores, &c. Vel (2.) Sicca Pulverulenta, ex quovis Regno petita.

γ. Hæc inter tamen & aptissima sunt & usitatissima priora (*β. 1.*). Posteriorum (*β. 2.*) ea præcipue, quæ specificè graviora & minuta Dosi efficacia sunt, adhibentur, exclusis Pulveribus levibus, macilentis, haud facile cohærentibus, majore saltem mole actuosis, minus subtilibus.

δ. Massæ autem Pilulares Officinarum, exceptis paucis, quæ concinniores & frequenti in usu sunt, rectius omittuntur; cum

diutius adservatæ plerumque vel arescant nimis, vel alio modo corrumpantur.

a. Salibus etiam vel cito liquecentibus, vel exhalantibus, non adeo locus heic est; quamvis restrictior tamen quantitas, aliis subacta, ferri possit.

ζ. At Generosiora quæcunque, Acria, Mercurialia, Metallica, & similia, aptissime hac forma exhibentur.

n. Quin & sapore aut odore molestissima huc recipiuntur: neque enim his tegendis accommodatior alia est Formula.

δ. *Excipientium* (*α.*) loco serviunt vel (*1.*) Spissiora, ut Mel, Terebinthina, Extraeta mollia, Electuaria rarissime, Mica Panis recentis, quæ huc referri potest, & ejusmodi alia. Vel (*2.*) minus Spissa: ut Confectiones molles, Syrupi, Vitellus Ovi, Balsama similia, Mucilagines, &c. Vel (*3.*) Liquidiora: ut Essentiæ, Elixir, Extracta Essentialia, Tincturæ, Spiritus fermentati, Olea Aromatica, &c.

i. Haud tamen Excipientium quævis (*δ.*) quibusvis Excipiendis (*β.*) quadrant. Sicca tenacia (*β. 1.*), præprimis Resinosa, Liquidioribus (*δ. 3.*), tum & Vitello Ovi, & Balsamis (*δ. 2.*), aut Terebinthina (*δ. 1.*), gaudent. Sicca Pulverulenta (*β. 2.*) glutinantibus (*δ. 1. 2.*) egent.

x. Quandoque vel omnia vel aliqua Excipienda (*α.*) ex classe Excipientium (*δ.*) se-

liguntur, magis minusve spissa. Excipientium tunc vices implent sicca, pulverulenta, bibula: uti Farinæ, Pulvis Liquiritiæ, & similia.

λ. Ingredientium numerus est, qualis in Bolo (129.ι.), si massa minor præstituitur; si major, qualis in Electuario 140.ζ.).

163. ORDO (57.), vix constans, Excipienda tamen (162.β.η.) plerumque jubet præmittere juxta speciei similitudinem & singulorum quantitatem (57.β.γ.) digesta, subjunctis dein Excipientibus (162.θ.η.), horumque illis loco ultimo, quæ non definita quantitate præscribuntur (57.ε.). Ubi Partes Compositionis (74.) obtinent, regulam (57.δ.) sequimur: quod in Purgantibus saepe usu venit.

164. MOLES cujusvis Pilulæ, hodie, quam olim, minor, haud tamen ubivis eadem, aliis Ægris, Medicis, Nationibus, alia arridet. Major est, si massæ granis viii vel x constat, Anglis tamen & Gallis usitatissima, imo vel hac quoque grandior. Mediocre dant grana ij ad v, quæ inter Belgas ferè recepta est. Minimam grani j Germani amant, quorum nonnullis hæc etiam, major visa, nonnisi in ii, iij, vel iv, disceptra Pilulas denum placet. Notet heic Tyro.

α. Specificæ gravitatis Ingredientium differentiam ex eodem massæ pondere Pi-

Iulam alias maximæ, alias minimæ, molis dare posse: ut ideo illius ratio omnino habenda sit.

$\beta.$ Parvitati favere faciliorem in Ventriculo dissolutionem, hinc promptiorent actionem; quum magis aucta detur superficies.

$\gamma.$ Molem contra grandiorem, ditius adservatam, eadem de causa, haud adeo cito exarescere, durari, exhalando vim perdere.

$\delta.$ Scopum igitur suum, materiæ natu-ram, massæ Quantitatem Generalem, Dosi molem, &c. dum inter se comparat Medicus, Ægro locoque simul se accommodans, (30.43.), facile heic legem sibi statuit.

165. Dosis quò minor, eò ferè gravior, modò efficax sit; ut ideo defectu peccari heic vix queat. Scrup. j. ad Drach. $\beta.$ commodé ingeritur simul. Ad Scrup. ij. vel Drach. j. raro adscendit, nisi Indicatione urgente, Materie specificè graviore, Ægro facili. Cæterum

$\alpha.$ Alterantia, lentè actura, sensim insanguinem insinuanda, ægrè solubilia, minuta potius quantitate crebrius iteratâ, quam grandiore simul, prudenter dederis.

$\beta.$ Sialogoga Mercurialia, Purgantia drastica, & similia, tutius itidem partita in minores Dosi efficace ingeruntur; nisi cum

Indicatio exigit, conatu validiore morbum adgredi, nec alia repugnant. Confer. (21. 66. v. 67. ε.).

γ. Ubi absque insigni motu, aut per Epicrasin, purgandum, ex usu est, Dosis efficacis partem tertiam vel quartam exhibere vesperi, reliquum proximo manè.

δ. Numerus pilularum pro Dosi definitur facile ex quantitate Dosis hactenus exposita, per pondus Pilulæ desideratum (164.) divisa.

ε. Sunt, qui, superstitione a Medicis etiam introducta moti, Numerum Pilularum, maxime Purgantium, parem pro Dosi horrent. His gratificari parvæ molis est.

166. QUANTITAS GENERALIS heic, si uspiam, laxissima est, nec nisi in casu singulari determinanda ex pondere & numero Dosum (165.), quas Indicatio rite deduxit, collata ad varias Aegri conditiones, & Ingredientium naturam, simul præstituendas jubet. Repetantur dicta (67. 92.). Evacuantia ad unam sæpe, aut duas, tresve Doses saltem præscribuntur: Alterantia quandoque ad totidem Uncias. Memor heic itidem sis regulæ (114. β.). Quin &, quæ proxime sequitur (γ.), nonnunquam hac in Formula conducet.

167. PROPORTIO mutua Ingredientium facile invenitur per sequentia.

α. Excipienda (162. β. n.), utpote pri-

mariæ, suis capiantur Dosibus efficacibus, Indicationi adpropriatis, (66. 67. 87 ad 91. 165. 166.), tanquam si sola forent exhibenda.

$\beta.$ His (α), si fuerint Sicca Tenacia (162. $\beta.$ 1.), tantillum quia sufficit Excipientis (162. $\beta.$ 1.), id q. s. saltem adscribitur; imò quandoque penitus omittitur, tam delectu, quam mole ejus, si opus est, Pharmacopœi dexteritati commissis.

$\gamma.$ Si vero Excipienda Sicca Pulverulenta sunt (162. $\beta.$ 2.), varia requiritur Excipientis quantitas pro varia hujus consistencia (162. $\beta.$ 2.). In genere tanto plus, quo id ex se spissius est. Unde tum speciatim Posita Excipiendorum Unc. j.

Excipientis	Spissi (162. $\beta.$ 1.) Drach. v. ad vij.
	Minus spissi (ibid. 2.) Drach. iiiij. ad iv.

Excipientis	Liquidioris (ibid. 3.) Drach. iiij. ad iiiij.
-------------	--

opus est, ut obtineatur justa Pilulæ spissitudo (160.). Quandoque tamen & heic, ut ante ($\beta.$), determinatio quantitatis arbitrio Pharmacopœi relinquatur.

$\delta.$ Scitur hinc facile Proportio necessaria, cum Excipientia plura diversæ consistentiæ, aut Excipienda utriusque classis (162. $\beta.$ 1. 2.), simul adhibentur.

$\epsilon.$ Excipienda (162. z.) Pilulæ liquidiora subiguntur Pulveris adpropriati q. s.: li-

Cet vel hujus etiam Proportio ex regula (γ.) intelligatur.

ζ. Si Excipientium quantitates determinaturus anceps metuis, ne justo nimiae aut parciores sint, cape proxime tam parum, ut non sufficere certo scias, ac secundarii Excipientis q. s. subjunge!

η. Pateat hinc, quantæ necessitatis sit Regula (35.). Quin & gravitatis specificæ variorum cognitio heic adprime utilis est; quum multa inde proportionis discrepantia oriatur.

θ. Cæterum memento (86. 88. γ.); ut Excipientium, si qua virtus est vel adjuvans vel deprimens actionem Excipiendorum, eam in Dosi determinanda simul computes, aut Excipiendorum quantitatem pro rata modereris. Confer supra (α.).

168. SUBSCRIPTIO est: *M. F. Pilulæ.*
 Additur semper vel numerus omnium: v. g. No. j, ij, iij, & sic porro: vel, præcipue si grandior est massa, quotnam ex certo hujus pondere formari debeant: v. g. *Ex Scrupulo No. v, vij, &c:* vel denique quanti ponderis exigatur quælibet: v. g. *Singulæ gr. ij. iij. iv. &c.* Subjungitur quandoque *Involucrum*, si peculiare expetitur: Pulvis nempe quidam subtilis, ut *Glycyrhizæ*, *Cinnamom.* *Lap.* *Cancr.* *Chinæ*, &c; quo obvolvendæ jubentur, ne inter se cohærescant. Vel adscribitur: *Auri*

aut Argenti foliis obducantur: quod tanto heic magis ferri potest, quia & colores corrigit, & sapores odoresque, saepe injucundissimos, compescit, & consistentiam a difluxu, duritie nimia, aut collapsu in pulverem, defendit; quamvis interim mora longiore fucus sordeat. *Charta pauciorum, Scatula plurium Receptaculum est.*

169. SIGNATURA, post *Titulum*, ex nomine & virtute compositum (60. γ.), *Dosin* (165.) determinat Pilularum Numero (ibid. δ. ε.); nisi cum omnes una vice capienda sunt. *Tempus & Regimen* limitat Indicatio: ubi cavendum, ne Doses Generis, juxta (165. β.) partitae, altera alteri citius superingerantur, quam de prioris effectu aliquid statui queat; cum tardior Pilulæ dissolutio actionem saepe minus expeditam reddat. *Vehiculo* alii nullo utuntur: alii solido vel spisso, *Nebula* v. g., *Paf-fula* majore, *Pruno cocto*, *Gelatina* vel *Rob gratiore*, & similibus: alii liquido, quod frigidum ferè aptius est; quum calido emollita materies & gustum magis adficat, & colliquescens fauibus quandoque adhærescat incommodè. *Liquore* etiam superbibendo nonnunquam opus, tum ut abstergantur saporis ingrati reliquiae; tum ut solutio & aëtio promoteatur. *Confer,* (60. λ. 123. β. γ. 135.).

170. USUS æque ferè universalis est, ac

Pulverum (125.), Evacuationi pariter ac Alterationi, maximè tamen in Chronicis, conveniens. In Acutis rarius, nisi Narcotica, Emetica, & similia, hac forma dari solent. Ingratissimis commode ingerendis aptissima Pilula. Sunt tamen &, quibus minus placet: his ergo alia forma consulendum (43.). Infantibus malè offeruntur, quia mandunt. Temperiei siccæ minus convenit (47.): quod tamen liquido idoneo, ante vel post exhibito, corrigi potest. Difficultas aut impotentia deglutendi magis etiam Pilulæ, quam Pulveris (125.), usui obstat. Promptissimæ tandem actionis necessitas eam quoque excludit (169.).

171. SPECIMINA hæc sunt.

* * *

Pilulæ Emeticæ in Febre Intermittente.

Vide H. Bœrh. Mat. Med. p. 131.

R. Tart. Emetic. gr. v.

Micæ Panis q. f.

Ut F. Pil. No. v.

S. Pilulæ Emeticæ pro una Dosi, cum Cerevisia calida capiendæ.

* * *

Pilulæ Purgantes in simili casu.

R. MPilul. Ruffi scrup. j.

Resin. Falapp. gr. iv.

Sal. Absynth. gr. ij.

Elix. Propriet. f. acido. q. f.

M. F. Pilulæ No. ix.

S. Pilulæ Purgantes, die intermissionis, mane, pro Dosi capiendæ.

* * *
Purgantes in Scorbuti principio.

H. Bœrh. l. c. p. 184.

R. Pil. Coch. Maj. drach. j.

F. Pilulæ No. xxi.

S. Capiat duas vesperi ante somnum, mane quinque ante jentaculum.

* * *
Adstringentes in Fibra laxa, ad similitudinem Ibid. p. 8.

R. Extract. Tormentill. drach. j.

Bistortæ.

Pulv. Cort. Granator. ana drach. f.

Lap. Hæmatit. ppt. scrup. j.

Syr. Myrrin. q. f.

M. F. Pilulæ singulæ gr. ij.

S. Pilulæ Roborantes. Capiat Aeger unam ter, quater, de die, ex Unc. j. Infusi, Decocti, vel Vini Medicati. Ibid. p. 5. ad 7. descriptorum.

* * *
Pilulæ Resolventes, Stimulantes in Morbis a Glutinoso Spontaneo.

R. Sapon. Alcalici, vel Starkejani digesti drach. iij.

Extract. Centaur. min.

Gummi. Galban. ana drach. j.

Sagapen. scrup. ij.

Ol. Stillat. Absynth. gutt. xij.

Cort. Winteran. subtil. pulveris. q. s.

Ut F. Pilul. ex Scrup. j. No. x, deaurandæ.

S. Ut in fronte. Capiat Aeger ij. ter vel quater de die ex Vino.

* * *

Pilulæ Balsamicæ in Gonorrhœa Venerea.

Ibid. p. 247.

R. *Terebinth. vulg. unc. j.*

Rhei-barb. unc. ss.

Glycyrrhiz. sicc. q. s.

Ut F. Pilulæ, singulæ Gr. iv.

S. Capiat unam omni horâ.

* * *

Pilulæ Narcoticæ. Ibid. p. 62.

R. *Opii purissimi. gr. ij.*

F. Pilulæ No. iij.

S. Detur una pro Dosi, reperiendo post horam, si prior nihil effecit, sic & tertio.

De Trochiscis Internis.

172. **T**ROCHISCUS *Pastillus*, est Pilula (160.) non globosa, quæ non integræ, sed, instar Eclegmatis (149.), sensim in ore dissoluta, deglutitur: ut hinc *Elegma solidum* ferè dixeris.

173. Officinalem verò a *Magistrali* heic omnino distinguere juvat (6.): nam, licet forma utrobique conveniat, usus tamen saepè diversus est; cum prior, conservationi

ingredientium magis dicatus, compluribus aliis Formulis frequenter accomodetur.

174. MATERIES in genere est *Excipiēda* vel *Excipiens* (128. $\alpha.$ $\beta.$).

$\alpha.$ *Excipienda* sunt vel (1.) Sicca Macilenta. Vel (2.) Sicca Tenacia (vide 162. $\beta.$). Vel (3.) Mollia: ut Pulpæ, Electuaria, &c. Vel (4.) Liquida Diffusiora: ut Decocta, Infusa, & similia: aut Contraria: ut Olea Aromatica, &c.

$\beta.$ *Excipientium* loco serviunt vel (1.) Liquida minus tenacia: ut Aquæ stillatit. Vina, Spiritus Vini, Succi, Decocta, Infusa Vegetantium. Vel (2.) Viscida: ut Albumen Ovi, Mucilagines, Syrupi, Balsama, Mel, Pulpæ, &c. Vel (3.) Sicca Glutinantia: ut Gummi, Extracta solida, Succi densi, &c. Vel (4.) Sicca Macilenta: ut Farinæ Orobi, Lupinorum, & similia.

175. ELECTU tamen heic opus; cum omnia omnibus haud promiscuè quadrent. Ergo

$\alpha.$ *Excipienda* (174. $\alpha.$ 1.) egent plerumque *Excipientibus* ($\beta.$ 2.).

$\beta.$ *Excipendis* (ibid. $\alpha.$ 2.) sufficiunt *Excipientia* ($\beta.$ 1.) apte selecta.

$\gamma.$ *Excipienda* (ibid. $\alpha.$ 3.) requirunt *Excipientia* ($\beta.$ 4.).

$\delta.$ *Excipienda* (ibid. $\alpha.$ 4.) gaudent *Excipientibus* ($\beta.$ 3.).

$\epsilon.$ Facile.

ε. Facile hinc intelligitur, cum Excipienda variæ consistentiæ simul recipiuntur, an & cuius generis Excipientibus opus sit; tum quod aliquando nullum requiratur.

ζ. Cæterum Sapore & Odore injucunda heic vitanda, aut saltem parcus immiscenda, ob (151. d. 172.).

η. Generosiora itidem, aut valde Acria, scopus hinc & usus ferè excludit.

θ. Salibus eadem de causa, tum & ob facile deliquium, Saporemque ingratum, vix adeo locus heic conceditur.

ι. Sacchari contra frequens usus est, quò Saporis gratia, facilior in ore dissolutio, & amplior reliquorum diffusio obtineatur. Postremo fine & Amylum sæpe adhibetur.

κ. Valdè tenacia pro Infantibus ne præscribito! Mansæ enim dentes conglutinando molestiam creant.

λ. Numerus Ingredientium haud major sit, quam in Electuario (140. ζ.).

μ. Si Trochisci Officinales prostant scopo apti, his potius utendum (29. 37.).

176. ORDO heic idem obtinet, qui in Pilulis (163.).

177. MOLES Trochisci, olim a Drach. j ad jjj. usque extensa, hodie a gr. vi. vix ultra Scrup. β. augetur; imò quandoque gr. ij. vel iij. tantum æquat, si Suaveolentiaæ Spiritus dicatur. Sæpiissimè autem pondere non determinatur, sed saltem Pisi, Lu-

pini, &c. magnitudine. Neque hinc periculi metus est in Magistrali (172. 173. 175. n.).

178. FIGURA est plana orbiculata, trigona, tessulata, rhomboides, cylindrica, aut quævis alia, cuius, æque ac signi imprimendi, selectio Pharmacopœi arbitrio facile relinquitur.

179. DOSIS saltem numero determinatur, pro mole Trochiscorum majore vel minore (177.), & Ingredientium natura, vario. No j. ij. iij, vel aliquot simul in ore volutandi jubentur. Cum Draſtico, quod rarissimum est (175. n.), ingrediuntur, Opium v. gr., ex pondere cujuslibet Trochisci cognito numerus accurate determinari, juxta Draſtici ingredientis notam proportionem.

180. QUANTITAS GENERALIS Uncia j. vel ijs. vix inferior præstituitur; quum parciор massa Pharmacopœo incommoderet. Si tamen solis uteris Officinalibus (175. n.); non est, cur limiti huic te adstringas, præscripturus tunc saltem, quantum scopo sufficit (67. 68.).

181. PROPORTIO Excipientium ad Excipienda, uti varia est, pro varia utrorumque consistentia, ita vix accuratè determinari in omni casu valet. Unde, cum Ingredientia generosiora heic locum non habeant (175. n.), tutò arbitrio Pharmacopœi relinquitur (58. 9. 7.). In genere ta-

men sequentia notasse ex usu erit.

$\alpha.$ Pondus specificum in Siccis Macilentiis (174. $\alpha.$ 1.) majus vel minus insignem facit differentiam quantitatis necessariæ Excipientium.

$\beta.$ Manente Excipiendo eodem, tanto minor requiritur Excipientis quantitas, quo hoc spissius est.

$\gamma.$ Hinc ad Siccorum Macilentorum (174. $\alpha.$ 1.) mediæ gravitatis, part. iij. Excipientum ($\beta.$ 1.) fere requiruntur part. ij. Excipientum vero ($\beta.$ 2.), pro diversa consistentia, part. iv. ad vi.

Ad Siccorum similiū, levissimorum, part. iij. Excipientum ($\beta.$ 1.) part. iv. Excipientum ($\beta.$ 2.) part. vi ad ix.

Ad Siccorum Tenacium (174. $\alpha.$ 2.) part. iij. sufficit Excipientum ($\beta.$ 1.) pars j.

Ad Mollium Excipientium (174. $\alpha.$ 3.) part. iij. opus est. Excipientum Siccorum ($\beta.$ 4.) part. ij.

Ad Liquidorum (174. $\alpha.$ 4.) part. iij. Excipientum Siccorum ($\beta.$ 3.) part. ix.

$\delta.$ Saccharum sœpe additur pondere reliquorum æquali, duplo, triplo, quadruplo, & ultra: prout conditiones (175. $\alpha.$) requirunt. Idem de Amylo obtinet.

182. SUBSCRIPTIO est. M.F.l.a. Trochisci. Moles adscribitur vel pondus (177.): v.g. Parvi: aut Pisi, Lupini, magnitudine: aut gran. ij. vi. Scrup. $\beta.$ Nullo horum opus,

100 DE TROCHISCIS INTERNIS.

si Officinales saltem præstituuntur (175. u.): Scatula, Charta, &c. pro Receptaculo est. Ubi Draſtīca ingrediuntur (179.), Excipientium interim quantitate non determinata; prudentiæ est, nec magnitudine, nec pondere, sed numero definire Trochiscos, ex tota massa formandos; uti in Pilulis (168). Sic certior eris, quantum de Draſtico in quovis Trochisco detur.

183. SIGNATURA sponte patet ex (60. 157. collat. cum 172. 179.).

184. USUS minus frequens est, nec fere ulterius hodie extenditur, nisi (1.) ad mala Faucium, Pharyngis, Laryngis, Asperæ Arteriæ, &c. instar Eclegmatis (158.): (2.) ad Fœtorem Spiritus: (3.) ad Prophylaxin a contagio.

185. SPECIMINA funto.

* * *

Trochisci ad Ptyalismum ab Aphthis de-lapsis.

R. Succ. Catechu drach. ij.

Sang. Dracon.

Cort. Granat.

Extract Agrimon. ana drach. j.

Mucilag. Sem. Cydonior. cum Aq. Rosar. extract. q. s.

M.F. l. a. Trochisci Pisi magnitudine.

S. Trochisci Roborantes, quorum unum assiduò ore volutet Aeger ac lente deglutiat.

DE TROCHISCIS INTERNIS. 101

* * *

Trochisci Opiati in Pulmone suppurato,
rupto. Vide H. Boerh. Mat. Med. p. 145.

Rx. Succ. Liquirit.

Flor. Sulphur. ana drach. ij.

Oliban. scrup. ij.

Opii puri scrup. j.

Bals. Copayb. q. f.

Ut exacte mistis F. Trochisci No. xl.

S. Trochisci Pacantes, quorum duos sumat
qualibet vespera ante somnum.

* * *

Trochisci Suaveolentes ad Fœtorem Spiritus.

Rx. Resin. Cort. Thymiam. Hoffm. scrup. j.

Ambar. grys. gr. xv.

Moschi gr. vij.

Ol. Cinnamom. gutt. vj.

Sacch. albissimi unc. j.

Cum Mucilag. Gumm. Arab. in Aq.

Cinnam. factæ f. q. F. l. a Tro-
chisci minimi.

S. Unum vel alterum pro necessitate ore volutet.

* * *

Trochisci Sublinguales ad Prophylaxin a
contagio.

Rx. Theriac. Andromach. drach. ij.

Myrrb. elect. drach. j.

Ol. still. Cort. Citri gutt. xij.

Succ. Citri recent. unc. β.

Pulv. Cort. Aurant. q. f.

Ut F. l. a. Trochisci singuli Scrup. β.

S. Mane exiturus capiat unum, alterum sub lingua detineat.

De Electuario Solido.

186. ELECTUARIUM SOLIDUM, *Morsulus, Tabella*, est Medicamentum, internum, siccum, variæ figuræ, ex varia materie, interventu Sacchari soluti & cocti, in formam solidam, fragilem, coactâ, constans. Unde patet ejus a Trochisco (172.) discrepantia.

187. MATERIES iterum est vel *Excipientia*, vel *Excipiens*.

Excipientia sunt ea ferè omnia, quæ ad Electuaria recipiuntur, tam *Excipientia*, quam *Excipienda* (139. 128. $\alpha.$ $\beta.$ $\gamma.$), Ex quo nominis (186.) manifesta est ratio.

Excipiens semper est Saccharum minus pingue, liquore idoneo, maxime aquoso, solutum, ad justam consistentiam incoctum.

188. DELECTUS tamen nonnulla habet singularia. Videlicet

$\alpha.$ Requiritur heic cum Soliditate Fragilitas, Cohæsiō non lentescens, facile in ore Deliquium, nec injucundus Uſus.

$\beta.$ Hinc Gummi, Extracta, Succi densi, Terrestria pinguia, & id genus alia, quæ tenacitatem inducunt, parcus immiscenda.

$\gamma.$ Ideo nec Saccharum adhibetur pinguitudine propria aut misto glutine lento; sed ferè albissimum simplex, aut Rosatum.

δ. Nec Sapore vel Odore molestioribus adeo heic locus est; quum deliquum in ore, aut manducationem, usus exigat.

ι. Salia quoque, præsertim facile liquefcentia aut exhalantia, vix recipiuntur.

ζ. Crassiores quidem Pulveres heic in usu sunt, at simul molliculi. Duriora, nisi tenuissimè comminuta, inter mandendum moleste strident.

η. Absint & Acida Fossilia, utpote Sacchari obstituta coagulo.

Θ. Unguinosis itidem ne utaris vetat eadem ratio & injucunditas.

ι. Nucleos, Oleo facile rancescente scatentes, Carnes, & similia, male adhibueris, si longos in usus præscribis.

κ. Adstringentia, Incrassantia, exulent; quum vires perdant Saccharo copioso suffocata.

λ. Generosiora, quin & specificè graviora, admittit Morsuli soliditas; modo miscelæ æquabilitas accedat.

μ. Suaveolentiam Ambaro, Moscho, Zibetho, parcè intermisstis, aut Liquidis fragrantibus, Oleis, Essentiis, &c. massæ jam congelatæ allitis; Coloris gratiam adpressis Auri Argentive foliis, aut Flosculis variii coloris, minutim concisis, paullò ante refrigerium insperfis, adfectet, qui vollet, memor tamen (85.).

188. Numerus Ingredientium haud sit major, quam in Electuario (140. ζ.).

189. ORDO heic idem obtinet, qui in Trochiscis (176.) & Pilulis (163.): quamvis saepe minus respondeat Ordini justo præparationis.

190. FIGURAM alii aliam huic Massæ conciliant; quæ tamen ut virtuti addit vel deimit nihil, ita rectè Pharmacopœi arbitrio committi potest. Vel enim gelascentem pyxidi infundunt, hujus ut figuram induat, Pandaleon tunc dicta: vel & totam simul, aut per partes, super planum effusam scindunt singuntve in massulas quadratas, quadrato-oblongas, rhomboideas, &c., quas Morsulos, Tubellas, Tessellas, Lozangias, &c. adpellant; licet satius foret, unicum Morsulorum vel Tabularum nomen, extermatis reliquis, constanter adoptare.

191. MOLES Morsuli vel pondere, vel mensura, determinatur rarissime; nec adeo limitata est, quin a Drach. j. ad Unc. β, & ultra, se extendat.

192. DOSIS præstituitur Numero, ad dimidium, j, ij, &c. Morsulos; prout majores minoresve sunt: aut Frustulo, si massa indivisa est: aut & Pondere, si efficaciora continentur: tum verò itidem major minorve est, pro varia Ingredientium vi & proportione. Unciam tamen vix excedit.

193. QUANTITAS GENERALIS minor

Unc. i v. haud commode præparatur. Si tamen Officinali uteris Composito, quantum scopo sufficit, præscribere licet; quamvis ne Unc. $\beta.$ quidem id excedat.

194. PROPORTIO Ingredientium, quoad Excipienda inter se, determinatur ex cognita singulorum natura, collata scopo intento, & cautelis datis (188.). (Vide & 55. 67. 115. $\alpha.$ $\zeta.$). Excipientis autem respectu illorum proportio ex sequentibus liquet.

$\alpha.$ In genere Sacchari quadruplum aut sextuplum ratione Excipientium aptè adhibetur. Sunt tamen, quibus octuplum, & vel plus etiam placet: at minus rectè; quum mole tanta nimis diffundatur virtus reliquorum, quandoque & obtundatur: unde Dosis efficax præter necessitatem augescit.

$\beta.$ Ratio interim habenda ponderis specifi, & consistentiæ, Excipientium. Levissima, ob volumen auctius, copiosiore gaudent Excipiente. Sicca, dura, bibula, cum Saccharo parciore ferè lapidescunt (188. $\alpha.$).

$\gamma.$ Si Excipienda ipsa Saccharum continent, quantitas Excipientis pro rata immuni debet: quod circa Conservas, Conditæ, Confectiones, &c. notandum.

$\delta.$ Sæpe tamen Sacchari Proportio Pharmacopœi arbitrio relinquitur (58.9.7.): a quo tamen abstinendum, si Dosis ponde-

re requiritur determinata (192.); quum constans limes omnibus in Officinis non obtineat, nec tantæ heic molis sit dubium tollere.

195. SUBSCRIPTIO præcipit: *M.F.l.a. Morsuli, Tabulæ, Electuarium solidum, Pandaleon, vel Confectio in Morsulis, &c.* (190.) commisso cæterum præparationis modo & ordine Pharmacopœi dexteritati. Subjungitur dein, si ita visum fuerit, quo Liquore illinenda, an Auro, vel Flosculis, ornanda sit massa (188. *μ.*). Quandoque & Pondus commemoratur cujusvis Morsuli (191.), & Seatula pro *Receptaculo*. Quodsi verò Officinale adhibes (193.), vixullo horum opus; nisi forte libuerit, externi ornatūs quidpiam superaddere (188. *μ.*).

196. SIGNATURA ex (60. 186. 190. 192.) liquet. *Vehiculi* necessitatem tollit Saccharum. *Utendi Tempus & Modum* definit Scopus: vel enim commanducatum, vel saliva paulatim liquatum, deglutitur.

197. USUS hodie in universum rarer est. *Pandaleon* ferè prorsus exolevit. *Morsulis* adhuc locus. Purgantia, Antihelminтика, Stomachica, Carminantia, Antacida, Antiglutinosa, Aphrodisiaca, Alexipharmacæ, Bechica, halitus graveolentiam corrigentia, quandoque sic exhibentur. Grata cæterum Formula, domestico usui, iter facientibus, non inepta, sat diu incorrupta manens, fuco Infantibus, Deli-

catis, faciendo commoda, expeditæ tamen actioni, Sanguine nimis tenui laborantibus, Hystericis sœpè, tum quibus dulcia infesta sunt, quin & Pauperibus, minusconvenit.

198. SPECIMINA sunt.

* * *

Morsuli Antihelmintici, Vermium nudum destruentes.

R. Conserv. Absynth. vulg.

Semin. Santonic.

Tanacet ana drach. ij.

Æthiop. mineral. drach. iiij.

Resin. Falapp. drach. iβ.

Sacch. albiss. Infuso Tanacet. solut.

unc. v.

M. F. l. a. Morsuli, singuli Unc. β.

S. Capiat unum mane & vesperi, vacuo Ventriculo.

* * *

Morsuli Purgantes.

R. Pulv. Rad. Falapp drach iiij.

Scammon. opt. drach. ij.

Antimon. diaphoret. unc. β.

Flaved. Cort. Citri rec. drach. iiij.

Sacchar. albiss. in Aq. Ros. solut.
unc. viij.

M. F. l. a. Confectio in Morsulis.

S. Dosis Drach. iiij. ad v. Adultis; Drach. β.
ad j. Infantibus.

Morsuli Antaeidi.

R. *Matr. Perlar.* ppt.

Cret. albiss. ppt. ana drach. ij.

Rad. Zingiber. condit. drach. iij.

Cinnamom. grosse triti. drach. j.

Sacch. albiss. in *Aqua pura solut.* q.s.

Ut F. l. a. Morsuli.

S. *Morsuli Antacidi,* quorum unus vel alter
pro necessitate capiatur.

Morsuli Stomachici, ^{*} ^{*} ^{*} Carminantes, in
casu frigido.

R. *Conserv. Menth.* drach. iij,

Nuc. Moschat. in *Ind. cond.*

Cort. Winteran.

Aurantior. ana drach. ij.

Macis. drach. j.

M. F. cum *Sacch. alb.* in *Aq. Rosar.*
solut. q. s. Morsuli, *Ol. Still. Cort.*
Citri oblinendi. D. in Scatula.

S. *Sumatur unus ante & post pastum.*

De Rotulis.

199. ROTULÆ, *Orbiculi,* sunt Morsuli
(186.) plano-rotundi, ex materie
saltem subtiliore, aut solubiliore, Saccharo
itidem excepta, compositi: ut hinc nonnisi
levis detur inter hanc & priorem Formu-
lam differentia. Quum tamen non sit nul-
la; doctrinæ facili aptius videtur, paulo
forte scrupulosius dividere, quam nimio
exceptionum numero impedire regulas.

200. MATERIES in genere eadem est, quæ Morsulorum (187.). Excipiens & Glutinans heic quoque semper est Saccharum. Unde Rotulas cum Trochiscis (172.) confundunt, qui Mucilagine exceptis istud nomen dant.

201. DELECTUS saltem ex parte discrepat. Nam

α . Præter dotes (188. α) in Rotulis etiam semidiaphana amatur soliditas. Unde

β . Quæ sat tenuiter & æquabiliter diffundi nequeunt, Conservæ v. g. Condita, Pulveres crassiores, Fructus Nuclei, & similia, tum quæ in grumos facile coeunt, huc minus recipiuntur.

γ . Saccharo hinc albissimo heic tanto magis opus est (188. γ): quin cætera etiam (ibid. β . δ . ϵ . ζ . η . ϑ . ι . κ) urgent fortius.

δ . Quandoque, exclusis siccis spissisve, liquidi saltem Succi, gratiore, maximè acidi, ut Ribium, Berberum, Citri, &c. cum Saccharo rotulantur, usu jucundissimo. Operam tamen perdunt, idem qui cum Aquis stillatitiis moliuntur.

ϵ . Sola alii Olea aromatica, aut Essentias contractiores, Saccharo aqua soluto, & incocto, excipiunt, certo tamen cum virtutis dispendio.

ζ . Elæosacchara igitur qui aquis soluta eodem fine coquunt, an, præter Saccharum, boni quid retinent?

n. Syrupum qui solum igne in Rotulas spissant, videant, qualem seligant.

¶. Compendii ergo Rotulas Officinales idoneo Oleo aut Essentia oblinendas præscribere, si scopus fert, licet: qua encheiresi Magistralibus etiam consulunt, qui volatilem calenti massæ imministorum jaecturam recte metuunt.

1. Externo ornatui reliquo (188.μ.) nullus heic locus.

2. Numerus Ingredientium minor, quam in Morsulis (188.ν.) qualis in Bolo (129.ι.), conceditur.

202. ORDO idem, qui in Morsulis (189.), obtinet.

203. MOLES Rotulae, minor, quam Morsuli (191.), plerumque Scrup. j. aut Drach. β. saltē æquans, itidem vix unquam pondere aut mensura determinatur.

204. DOSIS quoque, ut (192.), definitur numero j. ij iij., &c. aut pondere juxta Ingredientium efficaciam & proportionem vario.

205. QUANTITAS GENERALIS eadem est, quæ (193.): minor tamen etiam magistraliter parari commodè potest, si materies (201.δ.η.) adhibetur.

206. PROPORTIO Ingredientium intellegitur ex dictis (194.): eadem enim est, ac in Morsulis, si pauca excipias. Neimpe

ε. Frequentius heic majore Sacchari uti-

mur mole respectu Excipiendorum (194. a.), ob (201. a. d. e.).

$\beta.$ Succis hinc Acidis (201. d.) in Rotulas cogendis Sacchari fere adhibetur sextuplum vel octuplum: Essentiarum (ibid. e.) Drach. j. aut i $\beta.$ Sacchari Unc. ij.; hujusque tantundem ad Oleorum aromaticorum (ibid.) gutt. xx.

$\gamma.$ Illinitio (201. d.) simili Essentiæ vel Olei proportione ($\beta.$) efficitur.

207. SUBSCRIPTIO, nomine saltem mutato, uti in Morsulis, se habet (195.). Præparatio justa cognita supponitur Pharmacopœo, ita adornanda, ut minima, quo ad fieri potest, volatilium fiat per calorem dissipatio. Succi Acidi, Essentiæ, Olea (201. d. e.), non miscenda Saccharo, nisi perquam incoeto, jamque gelascenti, aut ne liquato quidem, sed saltem valde calefacto; tum ob rationem modo dictam, tum quia Sacchari concretioni obstant.

208. SIGNATURA haud alia est, quam (196.).

209. USUS quoque idem fere, ac (197.). Adde saltem, quod & in Acutis Rotulæ de Succis acidis paratæ vi gratissima adversus sitim se commendent.

210. SPECIMINA sunt.

Rotulæ Purgantes, * * Antihelminticæ, pro Infante: ad exemplum

H. Boerh. Mat. Med. p. 233.

R. Semin. Absynth. drach. ij.

Mercur. dulcis. scrup. iv.

Diagrydij drach. j.

Sacchar. Aq. still. Tanaceti soluti
unc. iij.

M. exactissimè F. Rotulæ.

S. Ut in Fronte. Dosis Drach. ij. ad iij. alternis diebus, manè, vacuo ventriculo capienda.

* * *

Aliæ contra Dolores à Partu

Vide l. c. p. 220.

R. Matris Perlar.

Corall. rubr. ppt. ana drach. ij.

Laudan. pur. gr. vi.

M. exactissimè, dein cum

Sacchar. Aq. Cinnam. solut. & inspissat. unc. iij.

Redige in Rotulas, paulo ante effusionem addendo

Ol. Cinnam. stillat. gutt. iv.

S. Rotulæ Anodynæ. Capiat Drach. ij. omni semihora, superbibendo Vini Rhenan. Unc. β. donec dolor mitescit: dein detur tantundem mane saltem & vesperi.

* * *

Rotulæ Roborantes Ventriculum debilem, frigidum.

R. Ol. stillat. Menth.

Absynth. ana gutt. x.

Essent.

*Effent. Myrrh. Boerb. drach. ij.
Sacch. albiss. Aq. Menth. solut. Et
inspiss. unc. v.*

F. l. a. Rotulæ.

S. Rotulæ Stomachicæ. *Capiat Drach. ij.
vel iij. ter, quater de die, horis Medicis.*

Aliæ adversus ^{*} ^{*} ^{*} Sitim.

R. *Sacch. albissimi, subtiliss. pulveris.
unc. iij.*

*Leni igne calefactis immisce
Succi Pomi Citrei rec. drach. v.
Flaved. ejusdem tenuiter rasæ.
scrup. j.*

F. l. a. Rotulæ.

S. Ut in Fronte. *Unam alteramve ore de-
tineat assidue.*

Nota. *Saccharata reliqua, olim inter
Medicos usitata, Pastam regiam, Massam
panis, Pineolatum, Mustaceum, Bucella-
rum, &c. quid opus commemorare? Cum e
Pharmacopoliis hodie relegata ad Pistores Dul-
ciarios transierint.*

De Infusis Internis.

211. INFUSUM est Medicamentum inter-
num, fluidum, ex Menstruo liquo-
re, Materiæ idoneæ parte aliqua, ope Ma-
cerationis, citra Ebullitionem, imbuto con-
stans. Menstrui & Præparationis diversi-
tas varia huic nomina peperit infrâ memo-
randa.

114 DE INFUSIS INTERNIS.

212. MATERIES triplex est: *Menstruum* seu *Solvens*: *Solvendum*: denique *Accessorium*.

a. Menstruum est vel (1.) *Aquosum*: ut *Aqua simplex*, *Stillatitia*, *Lac*, hujus *Serum*, *Decoctum* aliquod *Aquosum*, *Phlegma Vitrioli*, &c. Vel (2.) *Vinosum*: ut *Vina Uvarum*, *Mosellatum*, *Rhenanum*, *Gallicum*, *Hispanicum*, &c. *Ribum*, *Berberum*, *Cerasorum*, &c. *Hydromel*, *Cerevisia*, *Mustum*. Vel (3.) *Spirituosum*: ut *Spiritus Vini vulgaris*, aut arte purior, *Frumenti*, *Juniperi*, aliique ardentes fermentati.

B. Materiem solvendam præbet, quidquid, interno usui aptum, virtute gaudet Medicata, per Macerationem frigidam calidamve, sine Ebullitione, in *Menstruum* (*a.*) aliquod transeunte: cuiusmodi plurima offert Regnum Vegetabile: pauciora Fossile, Animale paucissima.

y. Accessoria sunt (1.), quorum adminiculo Solutio promovetur, vel *Menstruum* (*a.*) acuendo, vel *Solvendum* (*b.*) aperiendo, vel huic illud accommodando: cuiusmodi habentur maximè *Salium varia genera*, *Acida*, *Alcalina*, *Neutra*; quin & licet rarius, *Spiritus ardentes*, fermentati, simplices, aut vegetantium aromaticorum virtute imprægnati. (2) Sunt &, quæ Infusione jam peracta, admiscentur in augmentum virtutis medicatæ, vel corre-

ctionem noxiæ injucundæve qualitatis. Huc pertinent Syrupi, Elæosacchara, Mel, Confectiones molles, Tincturæ, Essentiæ, Spiritus, Vinum, &c.

213. DELECTUS tamen heic, si uspiam, omne fert punctum. Neque hunc quis aptè fecerit, quem natura rei extrahendæ (212. β.), vis solvens Menstruorum (ibid. α.), & Accessorii (γ.) respectu horum & illius efficacia, latent. Quum igitur cognita hæc supponamus (7. β. γ. 8. 104.); paucis, quæ huc spectant, complectimur.

α. *Aqua* solvit Sales, Gummi, Mucilaginem, Sapones, Spiritus Rectores vinculo non tenacissimo illigatos. Id præstat eò ferè felicius quo purior est, minusque permista, aut saturata prius heterogeneis. Non solvit Olea meraca, Pinguia, Balsama, Resinas, Sulphura; nisi juvetur Sale Alcalino, Saccharo, accessu Spiritus fermentati. Nec sola Lapidès, Terras, Metalla, Semimetalla, solvit. Aptatur tamen & his Sale Acido, quandoque & Neutro vel Alcalino.

β. *Alcohol Vini* solvit Spiritus Rectores Aromaticos, Olea similia, Balsama, Resinas, Sapones teneriores, Sales Alcalinos volatiles, fixos siccissimos. Sales reliquos, Lapidès, Terras, haud solvit: neque & Metalla, Semimetalla, Sulphur, Gummi:

hæc tamen Alcali fixi interventu adgreditur.

γ. Quum igitur *Spiritus ardens* (212. α. 3.) constet Alcohole, Aqua, Acido, varia proportione, pro majore vel minore puritate, inter se unitis; patet ex (α. β.), quid de Menstrua ejus virtute statuendum.

δ. His ipsis principiis (γ.) si addideris subtile Oleum, similis ferè, ac Alcohol, Menstruæ virtutis, habes & ea, e quibus *Vina* (212. α. 2.) coaluerunt; ita tamen, ut Spiritu alia gaudeant copiosiore, alia parciore, Acido alia liberiore, alia per Oleum magis obvoluta. Unde & horum vis solvens intelligitur.

ε. Constat hinc etiam, quænam *Materies* (212. α.) ex Regno triplici huc quadret; modo notetur, non Ebullitione, sed frigida saltem calidave Maceratione (211.) solutionem heic promoveri.

ζ. Ex Vegetantibus ergo ea potissimum convenient, quæ vel per se, calore leni, aut cum aqua ebulliente tractata, Aquas & Olea præbent stillatitia, Medicata (a): tum Succi densi, saponacei, gummosi, Resinosi, aut ex his compositi: dein &, quorum virtus, ad ignem fixior, in parte hæret Menstruis heic usitatis solubili (α. β. γ. δ.), nec tam profundè reliquis immersa, quin

(a) Vide H. Bœrhaave Elem. Chem. Vol. II. Proc. I. XV. XXIII.

citra Ebullitionem queat erui: cuiusmodi dantur plurima in Classibus Emeticorum, Purgantium, Demulcentium, Emollientium, Adstringentium, Vulnerariorum, Refrigerantium, Aperientium, Saponaceorum, Stimulantium, &c.

n. Regnum Animale vix multa, praeter Insecta aliquot, tum Castoreum, Molchum, Zibethum, Calculos quosdam & Stercora, suppeditat. Fossile præprimis Succina, Sulphura, Cuprum, Ferrum, Antimonium, & ex his præparata.

o. Cum vero Materies, haetenus (*Z. 4.*) exposita, haud promiscue Menstruis quibusvis (*& ad d.*) accommodata sit; curandum, ut illi, ex arte prius selectæ, quoad Principia extrahenda cognitæ, maximè idoneum jungatur Solvens. Sin minus conveniat unum, combinanda duo. Si nec hoc aptum est, aut Indicationi repugnat; *Accessoriis* (*212. γ. 1.*) utendum. Horum vero & virtus & selectio liquet ex (*loc. cit.* & *213. α. ad d.*).

p. Cæterum, quo usque fieri potest, Odore & Sapore injucundiora vitentur; maximè cum pro Infantibus, Delicatulis, aut potu familiari, præscribitur.

q. *Accessoriis* alterius classis (*212. γ. 2.*) sœpe non opus. Si tamen requiruntur, sint in eodem Menstruo integrè solubilia, sine præcipitatione prius solutorum. (Con-

fer. 102. &c. λ. μ.). Corrigentibus si uteris, cave, ne abutaris. (Vide 84. 85. 96. ad 103.).

λ. Numerus Ingredientium heic paullò major conceditur. Ne tamen quid nimis (29.).

214. ORDO Infundendis primum defert Iocum: atque hæc inter Vegetantibus Animalia, his Fossilia, postponit. Qui minutias curant, iterum Vegetantium partes ita digerunt; ut primæ sint Racides, tum Herbæ, Folia, Summitates, Flores, Semina, Baccæ, Ligna, Cortices, Aromata, Fructus, Succi, denique, si quæ accedunt, Purgantia cum suis Corrigentibus. Infundendis subjunguntur Accessoria primæ classis (212. γ. 1.). Sequitur Menstruum. Claudunt agmen Accessoria classis posterioris (212. γ. 2.).

215. DOSIS pro Materiæ Infusæ & Menstrui efficacia, Medici scopo, Aegri ætate, facilitate, &c. (66.) variis major minorve est. Aquosa ferè ab Unc. j. ad iij. v. vi. Vinosa ab Unc. β. ad j. ij. iv. Spirituosa a Drach. ij. ad Unc. β. j. ij. exhibentur. Quandoque & heic usu veniunt regulæ (67. δ. ε.). Sæpe tamen nec pondere determinatio fit, sed Mensurâ: v. g. ad Cochleare j. ij. &c. Cyathum, Vasculum, Theæ aut Coffé hauriendis dicatum, &c. aut quantum libert pro potu ordinario. Tandem, si Materies

ipſi ægro vel adſtantibus committitur par-
tis vicibus, iNSTAR Infusi Herbæ Theæ,
cum Aqua fervente infundenda, hujus
Drach. ij. iij. Unc. β. aut quantum Pugillo,
Digitabulo, Cochleari, Vasculo Theæ po-
tui ſerviente capi potest, ſimul adhibendum
jubetur.

216. QUANTITAS GENERALIS, vix
constantes agnoscens limites, unicam fal-
tem Dofin (215.) quandoque complectitur:
quod in Emeticis, Purgantibus, &c. cum
Aqua vel Vino infuſis, obtinet. Frequentius,
cum alterandum aut per Epicrasin
purgandum, Lib. j. iij. iv, & plures ſimul
præſcribuntur: prout Indicatio, aliaeve
conditiones, exigunt. (Conf. 67. 68. 92.
§.). Pretium nonnulla exhibere jubet par-
cius (66. ξ.): quare Infuſum Lapid. Hy-
ſtricis ad Unc. iv. vi. viij. ſaltem datur. Ali-
quando Cereviſiæ aut Vina Medicata, pro
familiari potu, aut longos in uſus, ad $1\frac{1}{4}$
vel $1\frac{1}{2}$ partem Tonnæ præſtituuntur. Ex
hiſ, & mox de Proportione dicendis, haud
diſſiculter colligitur, quantum Materiæ in-
fundendæ ſimul exhibendum, ſi hujus in-
fuſio ægro vel adſtantibus committitur per-
ſicienda.

217. PROPORTIO Ingredientium mu-
tua, generalibus itidem regulis haud figen-
da, pro Materiæ infundendæ, Menſtrui,

Uſus, ipsiusque Aegri, variis conditionibus plurimum variat. Notetur ergo,

α. Materiem (212. *β.*) ut plurimum duplo, triplo, imò & quadruplo majore quantitate pro Dosi exhiberi in Infuso, quam in Substantia, ut vocant: prout nimirum virtus ejus per minus majusve volumen est diffusa, aut tota, vel saltem ex parte, adhibito Menstruo elici valet.

β. Herbas, Folia, Comas, Flores, heic s̄æpe ad Manipulos vel Pugillos, Fructus ad Numerum (53. n. 2.) præscribi: Emetica tamen & Purgantia Pondere determinanda esse. Asari saltem Folia exceperis, quæ Numero frequentius præstituuntur.

γ. Cæterum Materiæ (212. *β.*) eam capi quantitatem, quæ effectui & Dosibus (215. 216.) desideratis sufficiat: neque strictiores regulas heic in genere posse statui. (Confer. 87. 88. 217. *α.*).

δ. Menstrui (212. *α.*) etiam, ratione Materiæ infundendæ, laxissimam esse Proporcionem: s̄æpiſſime quidem sextuplam, octuplam, duodecuplam: alias tamen & quadruplam saltem: aliquando longe majorem, vigecuplam, trigecuplam, fere ad centuplam usque.

ε. Scilicet ut specificē gravior est, leviorve Materies; virtus ejus magis minusve coacta, solutū facilior aut difficilior; Menstruum ipsum potentius aut debilius; & sco-

pus requirit liquorem vi medicata magis minusve saturum; ita Menstrui minor majorve capienda quantitas.

ζ. Porro, quæ Infantibus, Delicatis - aut pro potu familiari, exhibentur, vel injunctiore constant Materie, majorem fe, re Menstrui proportionem exigunt. Hinc ad Clareta, Musta, Cerevisias Medicatas præprimis ope Fermentationis parandas, Menstruum tricesies, imò centies quandoque, Materie Infundenda majus est.

η. Accessoria primæ classis (212. γ. 1.) prout vel ex se debiliora sunt aut potentiora, vel Materies magis minusve refractaria, vel Menstruum fortius aut imbecillius, magis minusve accommodatum; ita majore minoreve quantitate adduntur: ut hinc eorum Drach. j. vel ij. quandoque ad singulas Menstrui Libras recipiantur, alias tamen longe minus. Spirituosa interim (ibid.) non definità sæpiissimè copiâ adscribuntur, si irrorationi saltem, ut plerumque, Materiæ subserviunt.

Ω. Accessoria alterius classis (212. γ. 2.) adduntur ea proportione, qua scopo inten-
to sufficiunt. Neque heic limes ullus ge-
neralis obtinet. Sacchari tamen, & simi-
lium, pars j. ferè ad part. viii. vel x. Liquo-
ris communiter recipitur: in Claretis vero
pars dimidia, tertia, vel quarta, ratione

Menstrui. Alias & ipsius ægri arbitrio relinguitur dulcatio. (Conf. 85. 90.).

218. SUBSCRIPTIO alia est, si, quidquid huc pertinet, Pharmacopœo committitur; alia, si Materies infundenda tantum ab eo petitur, ægro vel adstantibus Infusione ipam curaturis.

219. Si prius (218.): injungitur.

a. *Materiæ ad Infusionem Præparatio.*

Hæc postulat (1.) Comminutionem ejus in crassum pulverem, quæ scissione vel fusione fit, & omittitur circa pulverulenta, Limatur. Mart. v. g. Cineres Vegetantium, &c. (2.) Colligationem in Nodulum, Petiam, vel Sacculum, ex Sindone paratum; quæ usu venit, ubi saturatior haud reponitur extractio, aut colatione supersedere animus est, aut Materies valde ponderosa in Menstruo suspendi debet, ne in fundo se compingens difficilius solvatur. Unde vel omnia Ingredientia simul, vel horum saltem aliqua sigillatim sic coercentur. (3.) Irrorationem, si liquido utimur Accessorio (212. γ. 1.), v. g. Spiritu Vitrioli, Sulphuris, Vini, Rosarum, &c. Quin & Aqua fervens heic nonnunquam ex usu est, cum aridiora caloris humidi ope emollienda sunt, ut Menstruo frigido facilius patent. (4.) Vas aptum, cui Materies immitatur. Id tamen rarius adscribitur; nisi dum metuenda virtutis dissipatio Phialæ

Chemicæ usum heic commendat, aut Fermentatio cum Cerevisia aut Musto instituenda Dolium exigit.

β. Infusio, quæ Menstruo perficitur calido vel frigido. Aquosa sola (212. a. 1.) infunduntur calida vel fervida: cætera (ibid. 2. 3.) frigida.

γ. Maceratio, quæ itidem frigida vel calida est. Priore utimur, cum vel levior faltem poscitur extractio; vel Materies minus refractaria, Menstruumque adeo potens est, ut calore nullo opus; vel alterutrius incongrua per calorem alteratio prævidetur. Calida, quæ usu venit, ubi modo dictis obtinent contraria, vel sustinet Infusionis calorem (*β.*), vel hanc frigidam calore deinceps admoto fovet. Is vero vel ita dicta Insolatione, vel Digestione in loco aut Furnulo apto, Balneo maris, cinerum, arenæ, &c. vario quidem gradu, semper tamen citra Menstrui Ebullitionem (211.) excitatur; prout magis minusve favet anni tempus, solutio facilis vel difficilis est, aut citius tardiusve peracta requiritur. Quandoque & interposita subinde concussione promovetur extractio. Tempus Macerationis vel determinatur ex effectu, dum color, sapor, odor, docent vim expeditam in Menstruum transiisse; vel saepissime ad horas, dies, noctes, &c.: prout vel ex indole Menstrui & Materiæ solvendæ ma-

gis minusve promta cognoscitur extractio, vel haec saltem superficiaria aut intimior exigitur. Vas sub Maceratione claudendum ferè semper jubetur; nisi vel ejus constructio id minus postulat, vel Macerationis modus prohibet. Illud Phiala, hoc Fermentationio docet.

3. Depuratio. Haec vel (1.) non nefaria est, cum Materies Nodulo inclusa (a. 2.) maceratur: tumque peracta extractione debita vel relinquitur Nodulus sub usu etiam in liquore suspensus, vel exemptus fortiter exprimitur, ut liquor magis saturetur. Vel (2.) Speciebus laxis, non valde levibus, quiete & mora perficitur; ut de Materie non soluta, sensim in fundum collecta, purius liquidum queat defundi, ultima hujus parte turbida vel relictæ, vel Colo Filtrove repurgata: qui modus Vinis, Cerevisiis Medicatis, Infusis Spirituosis, maximè convenit. Vel (3.) Trajectu omnis liquidi per Colum aut Manicam Hippocratis: ubi rursus sub finem expressio fortis Materiæ injungitur, si saturatior, nec limpidissimus desideratur liquor. Infusa Aquosa, Vina Hippocratica, vel Clareta, sic purgantur. Quin posteriorum claritas addito quoque ante Colationem Laete, feces inviscante, augetur. Vel (4.) Filtratione per Chartam bibulam, quæ dum & nitidissima est, & tardissima, adhibetur, ubi summa clari-

tas, & exactissima Materiae non solutae separatio exigitur, nec interim magna datur quantitas filtrandi. Infusis Spirituosis, tum Vinis Emeticis, Antimoniatis, hinc convenit. Cavendum denique in (3 & 4.), ne Volatilia etiamnum calida sic tractentur, jacturam quippe virtutis factura.

e. Admisiō Accessoriorum (212. γ. 2.): ubi, praeter (213. κ.), notandum, in Vinis Hippocraticis & Claretis Saccharum & similia ante Depurationem (δ. 4.) addi: ut simul trajecta minus turbent liquidum.

ζ. Receptaculum præbet Vas vitreum, oris angusti: cuius & obthuratio exacta commendatur, si Liquoris corruptio, aut Volatilium dissipatio, a liberiore aëris accessu metuitur.

220. Si verò Materiem tantum præbet Pharmacopœus (218.), omnibus (219. α. 4 ad 220.) omissis, Comminutio saltem, Miscela, & Colligatio in Nodulum (219. α. 1. 2.), si opus est, injunguntur, subscribendo v. g. *Conscissa, rusa, grosso modo, M.* Si Species laxæ exhibendæ, additur: *F. Collectio*, vel *D. ad Chartam*; quippe quærum loco *Receptaculi* est. Si autem in Nodulum colligandæ, adponitur: *Includantur Nodulo vel Sindoni*. Irroratio (219. α. 3.) tamen alias Pharmacopœo, alias Aegro, committitur: si posterius; liquorem eò ad-

hibendum, nisi vulgaris est, unà cum Materie saltem exhibit Pharmacopœus.

221. SIGNATURA itidem discrepat pro diversitate (218 ad 221.). Unde

α. Si obtinet (219.) ; Nomen Formulæ varium est, prout Menstruum (212. α.), Materies soluta (ibid. β.), Accessoria (ibid. γ.), Quantitas Generalis (216.), Depuratio (219. δ.), sunt diversa. Infusum ad Dosis unicas præscriptum (216.), quo-cunque cæterum Menstruo, Materie, Modo, paratum, vocatur *Haustus*: ad plures, simpliciter *Infusum* audit, si Aqua loco Menstrui est. Si vero Lac, Serum Lactis, Vinum, Cerevisia, Hydromel, &c. pro Menstruis adhibita sunt, ab his nomen accipit Formula. Si Menstruum fuerit Spirituoso, *Tinctura* cluet. Si tandem Materiem dant Aromata; Menstruum Aquæ stillatitiae, Aromaticæ, Vinum, Spiritus Vini; Saccharique multum (217. θ.) accedit & Depuratio limpidissima (219. δ. 3.); *Clareti* vel *Nectaris* dari solet nomen; aut sigillatim *Vini Hippocratici*, si Basin Aromatum constituit Cinnamomum, & pro Menstruo Vinum est. Ubique Nomini addi potest Virtus, ac deinceps reliqua, quæ ad usum pertinent, subjungi, facile intelligenda ex (60. 215.). Monendum insuper quandoque, præsertim tempore aestivo, & Quantitate Generali majore (216.), Vas continens li-

quorem loco frigido esse reponendum; ne Fermentatio, Acor, Situs, noceant.

β. Si (220.) locum habet, & Materies Sindoni inclusa datur (219. α. 2.); *Nodus* audit: sin exhibetur soluta; *Species*, *Collectio*, aut & *Thea Medicata*, ubi, instar *Theæ vulgaris*, paullatim infundi debet (215.), adpellari solet. Virtutem heic quoque addere licet. Dein adscribitur, quo Menstruo, modo, proportione, ordine, tempore, &c. Infusio, Maceratio, Depuratio, instituenda sit, prorsus uti in casu (219.) postulat Subscriptio, terminis tamen atque encheiresibus captui & opportunitati ægri vel adstantium adcommoda-tis (60. ε. ζ.). Reliqua, quæ usum & conservationem spectant, similia heic sunt, ac (α.).

222. Usus Infusorum maximè universalis est, omni ferè morbo, ætati, scopo, conveniens; modo & Materies, & Menstruum, inter se atque Indicationi congrua feligantur (213.). Infantibus quidem aliquando molestior hæc Formula, dum eminentioris saporis odorisve materie constat; alias tamen & commodè sub potus familiaris specie insinuat, ad quæ sub aliis formis ingerenda vix adduci possunt. Cæterum ut profundissimè penetrabilis est, ita saltem ob minus promptam præparationem excluditur, ubi mora periculum parit.

22. SPECIMINA sunt.

* * *

Vinum Emeticum, Antimoniatum, va-
lidè movens.

Vid. H. Bœrh. Mat. Med. p. 131. 209.

R. *Croci Metallor.* gr. viij.

Vini Rhenan. unc. ij.

Stent in frigida Infusione per noctem:
manè per Chartam filtratis adde
Oxymell. Scillit. drach. vi.

M. F. Haustus.

S. *Haustus Emeticus, Adulto pro Dosi,* manè,
exhibendus.

* * *

Aliud, mitius, pro Infante Rachitico.
Vid. Ibid. p. 256.

R. *Radic. Ppecacuanhæ* scrup. j.

Vini albi Gallici unc. j.

Sacchari drach. ij.

Infusa totam noctem, depurata, ex-
hibe manè.

S. *Haustus Emeticus pro Dosi,* manè, capien-
dus.

* * *

Collectio Purgans, Roborans, Anti-Ra-
chitica. Ibid.

R. *Rhei selecti* unc. β.

Myrobalan. Citrin. sine nucleis.

drach. iij.

Agaric. Trochiscati scrup. ij.

Con-

Conscissa, rusa, grosso modo, M. D.
ad Chartam.

S. Species pro Cerevisia Medicata, quæ infundantur frigidæ cum Cerevis. fortioris Lib. iv. per xxiv. horas. Utatur hoc potu pro familiari quotidiano, spatio iv. septimanarum, &c.

* * *
Nodus Diureticus, in Hydrope conveniens.

R. Ciner. Stipit. Fabar.

Genistæ ana Lib. ss.

Inclusa Nodulo exhibeantur.

S. Nodus Diureticus, cui infundantur Vini Rhenani Lib. i v. frigidæ, stent per noctem: tum, relicto intra Vinum Nodulo, illius Unc. iii. ter de die bibantur.

* * *

Serum Laetis Anti-Scorbuticum.

Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 195.

R. Acetosellæ. m. iss.

Betonicae.

Chaeophylli ana m. β.

Tamarindor. unc. iβ.

Conscissa infunde cum

Seri Laetis æstivi Lib. iii.

Spatio horæ, in calore ferè fervido; absque ebullitione tamen, dein per linteum expressis admisce

Syrup. e Succo Citri

Rubi Idaei

Violacei ana unc. j.

S. Ut in Fronte. *Bibat hujus Unciam unam omni semiborio interdiu.*

* * *

Thea Medicata, Anti-Phthisica.

Vide l. c. p. 199. & seq.

R. *Rad. Caryophyllat. mont. unc. ij.*

Liquiritiae unc. iij.

Herb. Veronic.

Hederæ terrestr. ana m. j.

Flor. Hyperic.

Centaur. min. ana pug. iij.

Semin. Fænicul. dulc. drach. iij.

Conscissa, tusa, mista, D. ad Chartam.

S. *Thea Balsamica. Hujus Unc. β. infundatur cum Aquæ ferventis v. vel vi. Vasculis Theae potui dicatis: stent vase clauso, calida, per aliquot minuta, tum bibat omni hora Vasculum simile plenum, in quo prius dissolutum sit Mellis virginæ Cohl. parv.*

* * *

Infusum Anti-Hydropicum, Fluorem Lym-
phæ concilians pro Plebejo.

Vid. H. Boerh. l. c. p. 204.

R. *Rad. Aristoloch. utriusque ana unc. iβ.*

Zingiber. drach. vi.

Summit. Absynth. vulg.

Centaur. min.

Baccar. Juniperi ana unc. j.

Sal. Absynthii unc. β.

Conscissa, tusa, mista, D. ad Chartam.

S. Species. *Infundantur cum Spiritus Juniperi vulg. Lib. iv. insolentur per aliquot dies, vase clauso, tum bibat Unc. j. quater de die, vacuo stomacho, cum regimine.*

* * *
Claretum Purgans & Roborans.

R. Rad. Calam. aromat. drach. vi.

Cort. Magellanic.

Rhubarb. opt.

Fol. Senn. f. stip. ana unc. β.

Agaric. trochiscat. drach. iiij.

Cinnamon. acut. drach. ij.

Cubebar. drach. j.

Conscissa infunde in Vini Rhenani opt.

Lib. iv, per triduum, vase clauso, loco tepido, subinde concute: tum adde Sacchari alb. Lib. β. trajice aliquoties per Manicam Hippocratis. D. usui.

S. Ut in Fronte. Dosis manè unus vel alter Cyathus.

* * *
Cerevisia Anti - Scorbatica.

Vid. H. Boerh. l. c. p. 191.

R. Fol. recent. Cochlear.

Erucae

Erysimi

Trifol. aquat. ana m. j.

Semin. rec. contus. Nasturt. hort.

Raphan. hort.

ana unc. ij.

Flor. Centaur. min. unc. j.

Rad. Raphan. rustic. unc. v.

Conscissa reconde in Cerevisiæ recentis
& fervescentis $\frac{1}{2}$ Dolio.

S. Sit pro Potu assiduo.

De Decoctis Internis.

224. **D**E COCTUM, *Apozema*, est Medicamentum internum, fluidum, simile Infuso (211.), sed Menstruo liquore, cum Materie solvenda, ad ignem Ebullientem paratum. Unde ejus ab Infuso (l. c.) discrepantia patet. Variis id quoque noninibus gaudet, quæ, quoisque hodie in usu sunt, infra tradentur.

225. MATERIES heic in genere eadem, quæ Infusi (212), trifariam quoque dividitur: in *Menstruum* nempe, *Solvendum*, & *Accessorium*.

α. *Menstruum* itidem huc adhibetur triplices: *Aquosum*, *Vinosum*, *Spirituosum*; uti ad Infusa (212. α.).

β. *Materies Solvenda*, pariter ex triplici Naturæ Regno deprompta, talis heic requiritur, quæ aptam usui interno virtutem, vel plane non, vel difficilius tardiusve sola Maceratione (219. γ.) eliciendam, ope Ebullitionis cum Menstruo (α.) communicare queat illibatam.

γ. *Accessiorum* idem heic usus, eadem generalis obtinet divisio, ac in Infusis (212.

γ.). Quin & Priorum (ibid. 1.) eadem natura est. At Posteriora (ibid. 2.) ex parte discrepant: uti Delectus indicabit.

226. DELECTUS ex arte faciendus, præter dictorum (213.) scientiam, exigit quoque notam Ignis heic adplicandi (224.) actionem in Menstruum & Solvendum (225. α. β.). Sed & hâc instruunt Tyronem, quæ cognita heic supponimus (7. β. γ. 8. 104.). Breviter hinc moneo.

α. Aquosi, præ aliis Menstruis, frequenter in Decoctis esse usum; cum Ebulliendo minus, quam reliqua, enervetur. Quare nec Aquis stillatitiis adeo heic locus est. Si enim adhibueris efficaces, Coctione virtus dissipatur; si inertes, quid inde boni præ Aqua simplice? Mulsæ Veteribus præprimis placuit: nec semper ineptè. Hodie tamen potius Mel Decocto addimus jani parato. Aqua quò purior est, eo ferè felicius solvit (213. α.).

β. Vinum, aptius Infusis, utcunque vase clauso, aut vaporum exitui obstante, coixeris, in pejus semper abit. Peracta igitur Ebullitione, si eo opus est, addi malim. Mustum exceperis, quod, Mulsæ simile, Aquosis potius adnumerandum, nisi fermentando Vinum fiat.

γ. Spirituosa (212. α. 3.) tamen, in Phialis Chemicis, sine notabili jactura aur

alteratione, Ebullitionem ferunt; ut ideo
Vinis huc magis sint idonea.

δ. Menstrua vis singulorum (225. α.) eadem est, quæ descripta (213. α. ad δ.), intensior saltem ob accendentem Ebullitionis motum: qui ipse tamen, ut juvat, ita simul & dissipat principia volatilia, & teneriora sœpe mutat, & quandoque justo plura elicit.

ε. Calor interim Ebullitionis haud idem est in omnibus. Spiritus leniore, quam Vinum, Aqua utrisque majore demum ebullit: cui differentiæ effectus (δ.) itidem respondent.

ζ. Quin fortitudo etiam & duratio Coctionis minor majorve multam heic adfert diversitatem; ut sint, quibus longior validiorve nocet, sint, quibus prodest, & contra.

η. Patet hinc Materiem (225. β.) aptè decoqui, si (1.) virtus ejus expedita per Menstruum determinatum (225. α. 226. α. ad δ.) solubilis est; neque interim (2.) æquè commode per Macerationem, ac per Ebullitionem (δ. ε. ζ.); nec (3.) hujus vi dissipatur; nec (4.) mutatur; nec (5.) alia virtute, minus scopo apta, simul elicita, pervertitur.

θ. Idonei ergo Menstrui selectio, aut ex se minus sufficientis per Accessorium aptatio, ut in Infusis (213. θ.), ita & heic maximè requiritur, iisdem legibus (l. c.) defi-

nitur: neque enim Ebullitio accedens vim illorum mutat, sed saltem auget.

v. Antecedens dein justa Præparatio materiem, alias Decoctioni inhabilem, huic adcommicare valet. Quo pertinet Comminutio & Maceratio prævia, durioribus, aridis, difficulter solvendis, utilissima.

x. Vas etiam Cocturæ adhibendum si ritè delegeris, ea quoque decoques fructuose, quæ alias operi huic inepta forent. (Vid. γ. & 219. α. 4. tum de *Subscriptione post dictenda*.).

λ. Minus ideo rectè decoquuntur cum Aquosis meracis Terrea macilenta, Lapea, Resinosa, Sulphurea, Pinguia: vix enim quidpiam dant boni, nisi Accessoriis utaris (213. α.).

μ. De Metallis & Semimetallis non Salinis idem (λ.) verum: quamvis tamen ignitione præmissa, aut longa fortique Coctura, mutare quodammodo Aquam videantur.

ν. Ex plerisque Animantium partibus duris vix, nisi Coctione diu protracta, quidpiam elicueris. Cum paucis tamen aliis, Lapidem Hystricis, eo si retuleris, excipe; quippe qui frigida etiam Maceratione solvitur.

ξ. Quæ macerando vim suam in Menstruum transfundere valent, Coctione neutiquam torquenda; quum calor major talia

ferè semper plus minusve muret (n. 2.). Lenior interim breviorque Ebullitio, dum solutionem accelerat, ferri quandoque heic potest. Molles, teneræ, recentes, Vegetantium partes hujus sunt censūs.

o. Quæ virtutem Coctura avolantem habent, potius infundenda sunt: sin Coctio requiritur, mitior hæc, brevior, & in vase idoneo, instituenda (ζ. n.). Huc pertinent Aromaticæ, Alcalescentia, Aquarum & Oleorum destillationi apta (a).

π. Quorum virtus Ebullitione in aliam, minus scopo respondentem, mutatur; vel non, velleniter saltem, nec diu, decoquenda. Asarum coctum magis Diureticum, quam Emeticum est. Liquiritia diu cocta amarescit. Sennæ Folia longiore Coctione purgans exhibent torminosum, &c.

ρ. Quod si virtus tantum ex parte in Menstruum transferri debet, nec interim difficulter solvitur, Maceratio potius, aut lenis saltem Ebullitio ex usu est. Rheum, Myrobalano, &c. diutius cocta vi purganti adstringentem jungunt. Mucilaginosa, Rad. Symphyti, Altheæ, Malvæ, Semina, Fructus, Succi, similia, Coctione longa lentorem inferunt liquori injucundum, &c.

ς. Multum interest, recens an fuerit Materies decoquenda, an vetusta, viridis an sicca; quum illius plerumque longè sit facilitior solutio per Menstrua etiam minus ad-

(a) Vid. H. Boerh. Elem. Chem. loco supra alleg.

commodata, hujus quandoque difficilli-
ma (a.).

v. Ubi varia Materies simul decoquitur, videndum, quousque altera alterius juvet impeditave solutionem; tum an omnibus æqua Ebullitionis vis & duratio conveniat, nec ne. Sunt, quæ sola iners præbent Decoctum, juncta vero aliis, efficax, & contra. Tempora autem Coctionis, prout aliis atque aliis varia competunt, paullò post terminabimus.

v. Quoad Odorem denique & Saporem eadem heic obtinet regula, quæ in Infusis (213. 1.). Spissitudo insuper lentescens evitanda (e.).

φ. Accessoria classis posterioris (225. γ.) heic usitata sunt (1.) similia recensis (212. γ. 2. 213. η.). Sed & (2.) quandoque, ubi Volatilium sub Alembico instituta Ebullitio excussit partem virtutis desideratæ, vapores collecti in Decoctum frigescens refunduntur. Quin (3.) nonnunquam Materies etiam alia, tenerior, vi prædita volatili, Infusioni aptior quam Coctioni (213. ε. ad η.), virtutis augmentum vel gratiam adlatura, peracta Ebullitione, Liquori infunditur ad normam Infusorum (211 ad 223.); ut Formula tum, ex Decocto & Infuso composita, *Decocto-Infusum* audiat.

χ. Ex dictis (φ. 3.) intelligitur Decocto.

I 5

(a) H. Bœrh. Ibid. Vol. II. p. 22. n. 5. 6.

rum *Aromatisatio*, veteribus usitata; cui
hodie compendiosior Aquarium Aromati-
carum, Spirituum, Tincturarum, Elaeo-
saccharorum, &c. miscela substituitur (212.
γ. 2.).

ψ. Numerus Ingredientium idem, qui
in Infusis (213. λ.), obtinet.

227. ORDO in genere similis heic obser-
vatur, ac in Infuso (214.), si Materies
decoquenda omnis uno Ebullitionis tenore
tractari, aut saltem, specie Collectionis
(220.), a Pharmacopœo exhiberi debet.
At, si Cocturam alia longiorem, breviorem
alia, postulant, rectius eo Ordine sibi mu-
tuo subjunguntur, ut primo sint loco, quæ
longissimam, postremo, quæ brevissimam
exigunt; nisi Pharmacopœi dexteritate fre-
to esse liceat. Nota igitur

α. Fossilia pleraque (226. λ. μ.); Ani-
mantium annosorum Ossa, Cornua, Carnes
tenaciores; Ligna compacta, Radices
& Cortices similes, arida, Aromatis ex-
pertia, valde resinosa, &c. protractam ad
3. 4. 6. & plures horas Cocturam ferre &
requirere. Unde & præmissa sæpe opus
est horum Maceratione; ut virtuti exitus
paretur (226. i.).

β. Animantium deinde juniorum Carnes
partesque duræ; Ligna, Cortices, Stipites,
Radices, paullò minus compacta, neque
tamen Aromaticæ, sed Adstringentia, Ama-

ra, Saponacea, &c; tum Frumenta & Legumina Nutrientia, Demulecentia, Diuretica, Incrassantia, &c. sequuntur, quibus horæ 1, aut 2. Coctio sufficit.

γ. His (β.) succedunt Vegetantium teneriora; Radices puta moliores, non Aromaticæ, Refrigerantes, Nutrientes, Adstringentes, Aperientes, Diureticæ, Saponaceæ; tum & Purgantes quædam magis resinofæ; Fructus dein pulposi, dulces, acidi, austeri. Hæc ultra $\frac{3}{4}$ aut unius horæ spatium vix coquenda.

δ. Herbæ porro & Folia paullo firmiora, Aromate & Sale volatili carentia, Emollientia, Adstringentia, Incrassantia, Refrigerantia, Aperientia; Semina similia, non tamen Mucilaginosa; Ligna, Radices, Cortices, densiora, Aromate paullo fixiore prædita, horæ $\frac{1}{2}$ Cocturâ satis emunguntur.

ε. Tandem partes Vegetantium tenerimæ, Flores; tum Herbæ & Folia Subaromatica, Vulneraria, Amara, Uterina, &c. Semina, Baccæ, Fructus, Cortices, Radices, similes, moliores; quo & Purgantia quædam retuleris, Sennæ Folia, Rheum, Myrobalanos, &c.; & Liquiritiam; denique Radices & Semina Coctione mucilaginem fundentia: quæ omnia vix ultra $\frac{1}{4}$ horæ coqui debent. Imo horum pleraque, maximè recentia, mollicula, Decocto ab

igne remoto, etiamnum fervido, infundere tantum satius est (226. ϕ . 3.).

ζ . Est tamen, cur Medicus quandoque ultra citraque terminos Coctionis datos (α ad ε .) eat; dum vel superficiariam tantum, vel hac neglecta intimorem, coquendo exhauriri vim scopus reposcit.

η . Haec tamen (α ad ε .) dicta de Aquosis potissimum Decoctionibus intelligi velim. Vinosæ, minus laudabiles (226. β .). & Spirituofæ, quum Phialas requirant, aut vasa exakte clausa, vix ejusmodi regulas admittunt. Quin posteriores etiam, calore minore bullientes (226. ε .), haud tantam exigunt accurationem.

228. DOSIS, quæ Infusi (215.), eadem est: inde ergo repetatur.

229. QUANTITAS GENERALIS itidem simili se modo habet, ac (216.): vix tamen ultra Lib. vij. vel viij. extenditur unquam; imò nec eosusque, nisi dum præparatio difficilior, Dosis ingens, & brevibus intervallis haurienda, id reposcunt, annique tempus ac Decocti durabilitas permittunt.

230. PROPORTIO mutua Ingredientium, præter ea, quæ (217.) tradita sunt, vix multa complectitur.

α . Quoad Materiem (225. β .) similia diætis (217. α ad γ .) obtinent.

β . Menstrui (225. α .) ad Materiem decoquendam Proportio itidem discrepat juxta

conditiones (217.ε.), tum prout Coctio si-
ne vel cum Evaporatione perficitur (226.
γ. κ. ο.).

γ. Ubi ergo nulla per Evaporationem
jactura fit, aut Vapor collectus refunditur
(226.φ. 2.); Menstrui Proportio eadem est,
ac in Infusis (217.δ.), nisi, quod rarius ul-
tra duodecuplam aut paulo majorem au-
geatur.

δ. Si contra sub Coctione dissipatio fit;
tanto requiritur Menstruum copiosius, quo
illa major; ut Liquor superstes sit nec justo
dilutior, nec saturatior.

ε. Tum igitur Medicus vel determinat
Menstrui adfundendi quantitatem ex (γ.) &
quantitate dispendii, certò aut per conje-
eturam definita, simul sumtis; prout Co-
ctionis durationem aut ad aliquotæ partis
evaporationem, aut saltem ad tempus, li-
mitat.

ζ. Vel, quod tutius & usitatius est,
Menstrui q. s. præscribens, & Coctionis
durationem alterutro modo (ε.) definiens,
denique saltem determinat, quantum resi-
dui superesse velit: ut Pharmacopœo tunc
relinquatur computandum, qua Menstrui
quantitate opus sit, ut, dato Coctionis ter-
mino, præscriptum Decocti pondus rema-
neat. Facilis autem Medico hinc nascitur
determinatio; quia perinde est, ac si abs-
que Evaporatione fieret Coctio (γ.).

n. Accessoria primæ classis (212.γ. 1.225. γ.) haud alios limites agnoscunt, quam (217.η.); nisi quod, ob Ebullitionis admiculum (226.δ.ε.θ.), sæpe minor eorum quantitas exigatur.

θ. Accessoria classis secundæ (225.γ.226. φ.), quoisque eadem sunt illis Infusorum, simili quoque Proportione gaudent (217.θ.) Quæ verò, peracta decoctione, Liquori infunduntur (226.φ. 3.), regulas sequuntur in Historia Infusi datas (217.). Notetur modo, tantò fere minus maceratione solvi posse, quo liquor ante per Coctionem magis saturatus est; neque in Decoctis, majore præsertim quantitate hauriendis, admodum placere spissitudinem.

231. SUBSCRIPTIO paucis discrepat ab illa Infusorum (218 ad 221.). Si enim, quod & heic usitatum est, Materiem decoquendam tantum præbet Pharmacopœus, præter dicta (220.) singulare nihil obtinet. Si vero & ipsam Decoctionem is curat, mandantur

a. Ante Coctionem agenda. Hæc autem (1.) quoad Comminutionem, Colligacionem, & Irrorationem nihil differunt a dictis (219.α. 1. 2. 3.); nisi quod Humeçatio cum aqua fervente heic vix usu veniat. (2.) Vasis etiam idonei mentio facienda, si minus familiare vel volatilitas vel acrimonia Materiæ, vel modus Coctionis, postulat, Phia-

Iam v. g. Chemicam, Cucurbitam Alem-bico instruetam, Lagenam stanneam, Ol-iam fictilem, Diploma, &c. Mos inter Pharmacopœos receptus in Vasis æneis, stanno etiam non obductis, Cocturas promiscuè faciendi, vel tanto magis necessitatem hujus monelæ inculcat. (3.) Maceratio nonnunquam præmittitur (226. 1. 227. a.) vel totius, vel partis cujusdam Materiei difficultius solubilis. Injungitur hæc juxta leges (219. β. γ.), & Formulam facit *Infuso-Decoctum.*

β. *Decoctione ipsa.* Quæ limitat (1.) Ignis adhibendi Gradum Modumque (226. δ. ζ. μ. ξ. &c.) agendum? An Igne nudo, an in Diplomate? Hoc Cocturæ longiori aptius & empyreuma arcet, & caloris inæqualitatem. (2.) Ordinem; ubi alia aliis diutius breviusve decoquenda sunt (Vid. 227.): quod ipsum quandoque & de Menstruo Secundario, aut Accessorio quodam (212. γ. 1.) Coctionem longam non ferente, valet. (3.) Vasis Occlusionem magis minusve exactam; prout Evaporatio magis minusve nocet. Plerumque Vase clauso decoquendum. Calor inde æquabilior, minor inquinatio. (4.) Coctionis Terminum, qui, dum Evaporatio conceditur, sæpe vel ex quantitate residui, vel ex aliquoræ partis dissipatione, minus tamen certò, definitur. Satius est Tempora figere juxta (227. a. ad ε.)

aut ex Decocti colore, sapore, &c. limitem ponere. Ebullitio fortior, lenior, Vas magis minusve repandum, diversissimam faciunt intra idem tempus exhalantis quantitatem.

γ. Post Coctionem agenda. Quo pertinet (1.) Infusio novæ Materiei (226. φ. 3) quæ iisdem legibus perficitur, ac dictum (219. α. β. γ.). (2.) Depuratio similis etiam (219. δ.); nisi quod heic quandoque in Aquosis Colationi jungatur Clarificatio cum Albumine Ovi, limpidissimum quidem exhibens liquorem, at simul plerumque minus efficacem; quum Albumen igne coiens virtutis medicatae partem saepe retineat: unde vix, nisi pro delicatissimis, præcipienda. (3.) Accessoriorum Miscela, quæ intelligitur ex (226. φ. 1. 2.). (4.) Receptaculum simile, ac (219. ζ.).

δ. In haec tenus (α ad γ.) dictis mandandis memento regulæ (59. n.).

232. Quæ ad SIGNATURAM spectant, haud difficulter eruuntur ex (221.): vel ipsa enim Nomina quoque ex parte eadem heic adhibentur: ut hinc Decoctum ad Dofin unicam præscriptum vocetur *Haustus* vel *Potio*: ad plures, si Menstruum spirituosum est, *Tinctura*; si Aquosum, *Decoctum* vel *Apozema*; si Animantium partes Basin Materiæ (75.) constituunt, *Fus* vel *Fusculum*; si Materies semel decocta cum recente Aqua iterum

iterum coquitur, *Bochetum vel Decoctum Secundarium.* Reliquæ denominationes hodie ferè exoluerunt.

233. Usus idem est, qui Infusi (222.).

234. SPECIMINA sunt.

* * *
Haustus Emeticus, Ventriculo cibis nimium infarcto.

Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 117.

Rx. *Rad. Vpecacuanh. pulv. scrup. iv.*

Cum Vini albi unc. iij.

Coque in Phiala alta horas quatuor.

Colaturam exhibe pro una Dosi.

* * *
Nodulus Purgans, minus calefaciens.

Rx. *Fol. Senn. sine stipit. drach. iij.*

Agaric. optim. drach. ij.

Nitri puri drach. j.

Conscissa, tusa, includantur Sindoni.

S. *Nodulus Purgans.* Coquatur per 1/4. horæ in Cerevisiæ dulcis Pint. ss, Vase clauso. Exprimatur: Capiat Æger Cyathum omni semibora, donec purgetur.

* * *
Jus Cancrorum Fluviatilium.

Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 16.

Rx. *Cancror. fluviatil. vivor. Lib. iij.*

Coque spatio horæ cum Aq. Lib. xij, tum exemtos contunde una cum testis, atque coque in priore Jure proprio adhuc

per horas iv, addendo semper tantum Aquæ, ut a Coctione Lib. viij. circiter supersint, tum Jus fortiter exprime, atque ei infunde

Flor. Borragin. unc. i β .

Buglossi unc. j.

Rad. Tragopogoni unc. iv.

Sisari unc. ij.

Dein ebulliant simul spatio i β 6 horæ.

S. Ut in Fronte. *Sumatur ad Unc. i β . omni biborio.*

Decocto-Infusum ^{*} ^{*} *Adstringens, Incras-*
sans, ad Hæmoptysin.

Vid. Ibid. p. 196. 197.

R. Rad. Consolid. maj.

Cort. Tamarisc. ana unc. β .

Cum Aq. pur. q. s. per i β 4. horæ deco-
ctis, adhuc fervidis, infunde

Herb. Agrimon.

Betonic.

Flor. Hyperic.

Papav. Rhœad. ana m β .

Stent, vase clauso, in Infusione calida
per horæ spatium. **Colaturæ Lib.**
ij. admisce

Syr. Myrtin. unc. j.

S. Liquor Vulnerarius. *Bibat Unc. ij. omni*
biborio diei.

Tinctura Anti-Hydropica, ^{*} ^{*} *ad Exem-*
plum H. Boerh. Ibid p. 204.

R. *Rad. Helenii unc. j.*

Aristolochiae utriusque

Zedoariæ ana drach. vj.

Zingiber. unc. β.

Summit. Absynth.

Centaury. min.

Semin. Dauci

Bacc. Juniper.

Lign. Sassafras rasi ana unc. j.

Cort. Winteranor. unc. β.

Conscissa, rusa, cum Spirit. Juniper.

Pint. ij. in Phiala alta Chemica ebulliant per
6. horas. Tinctura frigida, pura, decante-
tur. D. usui.

S. Ut in Fronte. *Capiat Unc. β. quater de
die, vacuo stomacho, cum regimine.*

**Infuso-Decoctum Abstergens, Antisep-
ticum, in Spina ventosa.**

Vid. H. Boerh. p. 112.

R. *Lign. Guajaci virid. ponderos. rasi.
unc. x.*

Sal. Tartari drach. β.

Cum Aq. comm. Lib. vj. spatio xxiv.
horar. digestum in diplomate, decoque spa-
io 2. horarum, sub finem admiscendo.

Spir. Vini rectific. unc. iv.

Ebulliant iterum parumper, tum ex-
hibe.

S. *Sumat Unc. iv, quater de die, vacuo sto-
macho: mane hora septima, dein hora*

*undecima, iterum quarta pomeridiana,
& ultimo hora septima vespertina.*

Bochetum ex ^{*} ^{*} ^{*} Residuo prioris.
Ibid.

Rx. Residuum Decoc*t*i prioris
Aq. pur. Lib. iij.

Ebulliant per iv. horas. Colatura D.
usui.

S. Sit pro potu quotidiano.

Nota. *De HydroSaccharo, Hydromelle Medicato, Ptisana Veterum & Recentiorum, Diæta, Sero Lactis Medicato, Decocto Galli, Consummatis, Destillato Instaurante, &c. addo nihil; cum facile ex bacterius (211 ad 234. traditis Infusorum & Decotorum Historiis, quo usque etiamnum in usu sunt, intelligi queant, ex parte vero hodie eviluerint. Conf. P. Morelli Method. Praescrib. Form.*

De Succis Expressis.

235. **S**UCCUS EXPRESSUS est Medicamentum internum, liquidum, ex Succo Aquoso, tritura & pressione de partibus Vegetantium recentium in rem præsentem educito, potissimum constans.

236. MATERIES in Genere duplex est:
Primaria & Secundaria.

a. *Primaria est, quidquid tritu & pressu*

Succum fundit Aquosum, usui interno idoneum: cujusmodi fere nonnisi Regnum Vegetable suppeditat.

β. Secundaria vel (1.) promovendæ confert Succi Expressioni, aut hunc diluendo, aut solida, quibus is coërcetur, emolliendo. Aqua, Serum Lactis, Lac ipsum, & similia, id præstant ante Expressionem addita. Vel (2.) Succo jam expresso admiscenda hujus virtutem auget, aut noxiā injucundamve qualitatem corrigit. Salia Acida, Neutra, Alcalica, Vinum, Aquæ stillatitiæ, Saccharum, Mel, Elæosacchara, Syrupi, &c. huc apta sunt.

237. DELECTUS, ob minorem Materiæ (236.) amplitudinem, paucis absolvitur. Ergo

α. Succosæ & recentes Vegetantium partes tantum primario (236. *α.*) huc adhibentur: Folia, Flores, Fructus, Radices, Herbæ totæ, molliora, Succo liquido, Aquoso, plena.

β. Excluduntur Sicca & Compactiora omnia. Ligna hinc, Cortices, Stipites lignosi, &c. inepta.

γ. Neque & Seminum adeo hic usus est; quia Oleo magis, quam humore Aquoso, scatent.

δ. Minus etiam idonea sunt, quorum Succus, licet copiosus, nimium lentescit; quum difficulter eliciatur. Secundarii ta-

men Liquidi (236. β. 1.) admistio, & calor, opem heic ferre queunt.

ε. Item, si scopus exigit paulò minus succosis, aut humore lentiore plenis (δ.), uti, appositè junxeris, quæ Succo liquidiore turgent, vicem quippe adminiculi (236. β. 1.) præstitura.

ζ. Qui de Animantibus vivis, horumve Stercoribus &c. premuntur Succi Medicati, magis ad vulgum pertinent: vix enim ex Medici consilio aut præscripto fiunt.

η. Patet hinc, non quorumvis esse temporum nec locorum hæc Medicamina: ut ideo cayendum sit, ne intempestive, aut plura simul præstituantur Ingredientia, eodem quæ tempore haud vigent, aut viridia desiderentur, quæ non nisi sicca ad nos pervenire possunt.

Ω. Secundaria (236. β.) utriusque classis omittuntur frequentissime. Priora tamen (ibid. 1.), cum nativus Materiæ primariæ humor aut parcior est aut lentior, pulchrè conducunt. Seligenda igitur ejusmodi, quæ vel eidem scopo serviunt, vel Succo mista noxiā haud subeunt efficiuntve mutationem. Posteriora easdem, tum (213. κ.) memoratas, exigunt cautelas.

ι. Numerus Ingredientium minor (213. λ.) heic commendatur. Plura congerenti facile obrepit error (η), aut incongrua ex variorum mixtione Qualitas (94. & seq.).

238. ORDO, vix heic limitatus, idem tamen adhiberi posset, qui in Infusis (214.), quo usque Materiae se extendit convenientia.

239. DOSIS, major minorve pro variis conditionibus (66.), tum prout brevibus longisve intervallis repetendam jubet Indicatio. Quandoque Mensurâ saltem determinatur ad Cochlear. j. ij. iij, aut ad Cyathum j. ij. &c.: saepius tamen Pondere, a Drach ij. ad Unc. j. ij. iij: raro ultrà, nisi cum dilutus admodum & gratus fuerit Succus. Flatuosa horum liquidorum Cruditatis, Color, Odor, Sapor, plerumque satis injucundi, suadent, si Dosis efficax major est, regula (67. d.) potius utendum.

240. QUANTITAS GENERALIS, prout varius requiritur juxta conditiones (67.) Dosum (239.) Numerus, variè definitur. Nonnunquam, pro Emesi v. c. movenda, &c. Dosis unica in universum sufficit. Saepissimè tamen, si alterandum, vel per Epicrasin purgandum, in plures dies, imò septimanas, Curæ instar, ut vocant, usus protrahitur. Tum igitur vel (α.), quantum satis est in unum aut duos dies continuos, simul præstituitur; ut singulis alternisve diebus recens paretur: quod quidem, si per Aegri conditiones (67. f.) licet, omnino faciendum jubet facilis ejusmodi Succorum per moram alteratio. Vel (β.), si

prius (α .) minus commodum, quantitas in plures dies aut & integrum hebdomadam suffectura exhibetur simul: quod dum sit, Sulphuratione, Incöctione, Condimento-rum admistione, Vasis obthuratione & collocatione in cellam frigidam, corruptio quævis arcenda.

241. PROPORTIO Ingredientium mutua, quum plenam nec exigat, nec admittat, determinationem, ex sequentibus facile intelligitur.

α . Quantitate Succi Generali (240.) ad Pondus determinatâ, de Materie Primaria (236. α .) saltem q. s. capiendum jubetur.

β . Aut Succi Quantitate non determinatâ, Materiæ (236. α .) quantitas limitatur Pondere vel Mensura (58. ζ . n. ϑ . 1. 2.): utramque enim certò statuere vix licet.

γ . Prius (α) in genere usitatissimum est, quin & necessarium, si vel unica modo Dosis, vel plures, Mole & Numero definitæ requiruntur (239. 240.). Posteriore (β .) dum uteris, considerans Succi in Materie majorem minoremve copiam, tum Dosis expeditæ molem & magis minusve frequenter usum, cave ne excessu pecces vel defecetu, risum moturus Pharniacopœo aut tædium expressionis eodem die aliquoties iterandæ. Unde hic modus vix adhibetur, nisi dum Quantitas Generalis grandior, vaga tamen, reposcitur.

d. Quod si igitur Materies (236. *a.*) pluribus constat diversis, mutua singulorum proportio ita limitatur, uti major minorve cuiusvis efficacia & succositas, collata scopo, postulat. Quæ parciore vel magis viscido gaudent Succo (237. *d. e.*), cæteris paribus, minore quantitate, respectu succosiorum, capiuntur; ut & copiosior & minus latus acquiratur Liquor (*l. c.*).

e. Unde in casu priore (*a.*), ubi omnium æqualis quantitas non exigitur ob conditiones (*d.*), ex duplo, triplo, subdupo, &c. proportio saltem determinatur: v. c. Radicum pars *j.* Herbar. part. *i j.* Baccar. part. *iij.* aut aliter. In casu posteriore (*B.*) quid tum agendum, sponte patet.

ζ. Quandoque determinata saltem Quantitas Succi, ex una vel pluribus Speciebus expressi, & depurati, præstituitur, non commemoratis sigillatim ipsis Speciebus aut expressionis modo & ordine: quæ methodus ut simplicissima, ita & commodissima est, si vulgari tantum modo procedendum.

n. Secundaria Materies (236. *B. i.*) parciore saltem quantitate heic adhibetur; ne Emulso, Infuso, vel Decocto, similior, quam Succo presso, fiat Formula: haud enim veri loco Menstrui est, sed dilutioni tantum inservit, (*ibid. & 237. 9.*). Prout ergo eâ magis minusve eget Materiæ Primariæ habitus, ita plus minusve addi-

tur; modo ne superet Succi ipsius quantitatem.

¶. Reliqua (236. β. 2.) haud alios agnoscunt limites, quam datos (216. ¶.). Curandum, ut Succus, tanquam Basis (88.), Addendis potior sit, nec horum mistione nimis spissescat; tum ut ex omnibus simul junctis justa & efficax Dosis emergat (239.). Ubi autem Succi pondus haud determinatum est (β.), Addendorum Proportio ad certam illius partem saltem definitur, unde dein Pharinacopæo facile est computare, quantum pro toto requiratur.

242. SUBSCRIPTIO varia injungit. Quo pertinet.

α. Materiæ Primariæ (236. α.) ad Succi Expressionem Præparatio. Hæc autem includit (1.) Comminutionem, quæ vario in variis perficitur modo, conscindendo, raddendo, tundendo in pastam succulentam. Lapideum Mortarium, Pistillum ligneum, præ Metallicis, operi huic aptiora sunt. (2.) Diluentis Liquidi (236. β. 1.), si quo opus est (237. ¶.), Adfusionem. (3.) Pastæ tusæ, humectatæ, (1. 2.) Digestionem aut & Coctionem: quæ tamen sæpiissimè omittitur; nec adeo usu venit, nisi cum Materies in universum parciore aut viscidore Succo prædita, neque interim calore incongruè mutabilis est. Id autem boni

simul adfert, quod flatulentam Succi cruditatem minuat.

β. Expressio ipsa, quæ, præter vulgaria, nihil habet singulare.

γ. Expressi Depuratio. Hæc quidem vel Quiete sit & Mora, vel citius, Trajectu per Colum (219. §. 2. 3.), nec prætermitti debet; quum ingratam Succis demat spissitudinem. Imò nec malè agunt, qui, Digestione aut Coctione non præmissis (α. 3.), Succos, priusquam colant, leni igne ad primum usque Ebullitionis signum, vase clauso, si virtus volatilis est, sīn minus, ad tantillam quoque Ebullitionem usque, calefaciunt, ac tum demum vel frigefactos prius (219. §. 4. *in fine*), vel adhuc calentes, Colo depurant: ita enim & Despumatio simul fieri potest, & flatuosa eorum materies magis dissipatur, & fæces separantur pulchrius, & Insecta horumve Ovula, si quæ insunt, destruuntur, quin & longiori aptantur Conservationi.

δ. Miscela Materiæ Secundariæ (236. β. 2.), quæ, præmissis (γ.), demum peragit: licet interim satius foret, quæ difficilius in Succo frigido solubilia sunt, huic calefacto, ante Colationem (γ.), immittere. Imò vel suaserim, ubi major Succi Quantitas simul præscribitur, Salia, quæ frigore rursus aut tota, aut ex parte, excutiuntur, seorsim, specie Pulverum, in suas Doses

divisa, ægro exhibenda esse; ut is dein hæc partitis vicibus cuilibet Succi Dosi, paullò ante usum, intermisceat.

2. *Succi parati Adservatio*, quæ in casu (240. α .) minoris quidem momenti est, at, si obtinet (ibid. β .), omnino curam mereatur; quum & nativa horum Succorum indoles, & tempus anni, quo magis usitati sunt, corruptioni maximè faveant. Neque sufficit semper vase oris angusti, probè clauso, loco frigido, eos servasse: sed insuper vel, consilio Helmontii, Vas prius accensi Sulphuris vapore imbuendum; vel, nisi Materies Secundaria (236. β . 2.) corruptioni obstans jam addita sit, nec Indicatio repugnet, tantillo Spiritus Vini condiendus Succus; vel, si dilutior sit & calorem innoxie ferat, ad dimidias inspissandus.

243. SIGNATURA ex (60. 235. 239.) sat is intelligitur: neque enim, præter communia, quidquam heic monendum superstest, nisi quod Succus, in plures dies suffecturus, Vase clauso, loco frigido, sit adservandus.

244. USUS in Chronicis, ad inveterata humorum & solidorum vitia, Viscerum, præprimis Abdominalium, obstruktiones, &c. quin & in Acutis, ad Sitim restinguendam, Putredinem arcendam, &c. commendatissimus est, tam Alterationi, quam Evacuationi per Vomitum, Alvum, Uri-

nas, idoneus. Infantibus tamen, Delicatis, quibusvis anni temporibus, usque quaque haud convenit: quamvis nec desint Succi vel maximè nauseanti etiam Palato arridentes. Denique nec ad promptissimè parabiles pertinet hæc Formula.

245. SPECIMINA sunt.

* * *

Succus Emolliens, Aperiens, Hume-
ctans, Solidorum nimiam Rigidita-
rem corrigens.

Vid. H. Bœrh. Mat. Med. p. 9. & seq.

Rx. Rad. recent. Scorzoner.

Rapar. ana unc. iv.

Herb. recent. Cichorei

Taraxaci

Endiviæ ana man. ij.

Conscissis, tufsis, adfunde

Seri Lact. recent. Pint. β.

Ebulliant leniter spatio 6. horæ minu-
torum in Balneo Maris: tum Suc-
cum exprime: cuius per Colum de-
purati singulis Unciis admisce

Syrup. Rubi Idæi drach. j.

D. in Lagena Sulphurata.

S. Ut in Fronte. Servetur in loco frigido.
Dosis Cochlearium omni biborio diei.

* * *

Succus Emeticus, in Hydrope utilis.

Vide H. Bœrh. Mat. Med. p. 209.

Rx. Cort. medii Sambuc. recent. q. s.

Ut concis. tuf. exprimatur *Succi* unc. j.
Cui adde

Syr. Violar. unc. β.
D. usui.

S. *Hauſtus Emeticus pro una Dosi.*

* * *
Succus Antipyicus in Statu Phlogistico
Variolarum.

Ibid. p. 239.

Rx. *Succi recens expressi Cichorei*
Lactucæ
Taraxaci
Fumariæ ana
unc. ij.
Radic. Scorzoner.
unc. iv.

Nitri puri. drach. iβ.

M.

S. *Bibat Unc. j. omni hora diei.*

* * *
Succus Diluens, Resolvens, Abstergens;
ad Aphthas.

Vide H. Bœrh. Mat. Med. p. 168.

Rx. *Bulb. Rapar.* cum cortice q. s.

Tyrocnesti, vel radula ex bractea fer-
rata, radantur: tum exprimatur Suc-
cus, qui ebulliens leniter despume-
tur: hujus Unc. xvi. admisce

Vitell. Ovor. N. ij.

Syrup. Violar. drach. iv.

S. *Bibat Unc. β. omni semihora.*

* * *

Succus Antiacidus, in frigida Scorbuti
Specie: ad Exemplum H. Bœrh.

Ibid. p. 189. 190.

R. Rad. recent. *Raphan. rusticana.*

Ariana part. j.

Herb. recent. *Trifol. Aquatic.*

Nasturt. Aquat. ana
part. ij.

Radula rafis, concisis, tusis, exprime
Succi Unc. vi. quibus admisce

Spirit. Antiscorbut. F. D. unc. ij.

Sacchar. alb. unc. j.

D. Vase clauso.

S. Capiat omni triborio Unc. β. vel *Cochlearium.*

* * *

Alius in Scorbuti Specie Alcalina.

Vide H. Bœrh. Mat. Med. pag. 192.

R. Herb. recent. *Acetosæ*

Taraxaci ana q. f.

Pom. *Citreum N. j.*

Concisis, tusis, exprime Succi Unc. v.

His per Colum trajectis adde

Sacchari alb. drach. vj.

D. Usui: iterentur quovis die per duas
hebdomadas.

R. *Crem. Tartari drach. v.*

Sal. Essent. Acetosell. drach. ij.

M. Divide in xiv. partes æquales.

D. Singulæ in Chartulis seorsim.

S. Capiat mane hora septima dimidium Succi,
cui admisceat unam Dofin Pulveris: reli-
quum hora nona sine Pulvere. Id fiat per
XIV. dies.

De Emulsis.

246. **E**MULSUM, *Emulso*, est Medicamen-
tum internum, liquidum, Oleo-
so-Aqueum, consistentia & colore utcunque
Laeti simile, ex partibus Vegetantium oleo-
sis cum Menstruo Aquoso tritis, & emul-
atis, paratum. Unde Nominis patet ra-
tio, & differentia hujus a priore Formula
(235.).

247. MATERIES & huc triplex, uti (212.
225.), accedit: *Menstruum puta*, *Emulgen-
dum*, & *Accessorium*.

a. *Menstruum* vix aliud in usu est, quam
Aqueum: Aqua v.g. Simplex, Stillatitia Of-
ficialis, Decoctum vel Infusum Aquosum,
&c. Quandoque tamen & Vinum, sed ra-
rius, adhibetur.

b. *Materiem Emulgendam* præbent (1.)
Nuclei & Semina Plantarum Oleo grava-
da. (2.) Succi Vegetantium Oleosi: Resinæ,
Gummi-Resinæ, Balsama; quin & Radices:
nonnunquam valde Resinosæ, &c.

γ. *Accessorium* vel (1.) solutionem Mate-
riæ (β.) promovet, estque corpus saponi-
ceum: uti Vitellus Ovi, Saccharum, Mel,
aut tenerior Materies oleosa, facilius solu-
bilis,

bilis', ex (β. 1.) deprompta. Vel (2.), Emulso jam parato addendum, hujus virtuti aut gratiae augendae serviens, in genere simile est (212. γ. 2.).

248. DELECTUS tamen ut ex arte fiat, notandum, duas dari Emulsorum Species; dum alia (1.), proprie sic dicta, parantur ex Materie (247. β. 1.); alia (2.) potissimum ex (ibid. 2.). Quæ alii ex Pulveribus Terreis, albidis, Margaritis v. g. & similibus, cum Menstruo Aquoso tritis, confecta huc referunt, data opera omittimus; quum isthoc Titulo indigna simplices saltem sint Mixturæ: prout Laetus Color, pulvisculo citissime in fundum cadente rurus periens, sat docet.

249. Priora (248. 1.), ut Colorem & Consistentiam (246.), sic Odorem quoque & Saporem, Lactis æmulos, aut saltem minimè injucundos, exigunt, nec fere, nisi Refrigerandi, Nutriendi ac Demulcendi, rarissime Calefaciendi, scopo parantur. Hinc

a. *Menstruum* non admittunt aliud, quam Aqueum (247. a.), nec spissitudine, nec alia dote, injucundum, acrimoniæ expers, quò simplicius, eò aptius. Optima ideo Aqua simplex, cocta; Decoctum Aquosum, tenue, insipidum & inodorum, aut gratum, v. g. Hordei, Avenæ, Cornu Cervi, Rad. Scorzonerae, Liquiritiae, Cicерum, &c; Infusum simile.

β. Aquæ Stillatitiæ inertiores si, ut creiberrime fieri solet, adhibentur, sint ex arte destillatæ, sine empyreumate. Aromaticas, Spirituolas, Vinosas, Sapor Odorvenimis eminens, aut Scopus, saepe excludit, vel saltem, Accessoriiloco (247. γ. 2.), parciore copia addendas jubet. Acerosas eadem rationes, tum Acor, Emulsis infectus, prohibet.

γ. Materiem *Emulgendam* heic constituant Nuclei & Semina (247. β. 1.); non quævis tamen promiscuè, sed quæ mox memoratis Emulsi dotibus & scopo quadrant.

δ. Minus hinc apta sunt, quorum medulla alieni est coloris: amantur, quæ albidâ gaudent.

ε. Quin & majora ideo suis prius tunicis orbantur, si laetum hæ colorem obfuscare possunt intertritæ: licet interim majorem saepe gratiam Saporis adferant, nec virtute leniter adstringente scopo semper repugnant.

ζ. Valde amara, acria, aromaticæ, calida, quoque vix adhibentur; quum horum virtus, color, odor, sapor, rarius convenient. Amaritie tamen leniore prædita quandoque scopus admittit: uti Semina Cistri, Aurantior. Nucleos Cerasor. Amygdala amar. &c. Imo restricta horum

quantitas aliis magis fatuis accedens vel Pala-
to quoque placet.

n. Quæ trita Mucilaginem fundunt, iti-
dem minus quadrant: cujusmodi sunt Sem.
Cydonior. Lini, Psyllii, Hyoscyami, &
similia; quin & Hordeum ad crepaturam
coctum, quo hinc saltem leviter cocto uti
satius est.

o. Cavendum maximè, ne rancida sint,
quæ recipiuntur: quam quidem corruptio-
nem plurima heic usitata subeunt facile,
nullo tunc nomine huc apta.

i. Qui Emulgendis alia, præter haec tenus
(γ. ad i.) dicta, intermiscent, uti Cortices
Citri, Aurantior. Myrrham, &c. nec
Colori, nec Saporis horum Emulorum con-
sulunt. Elaeosacchara priorum, Myrrhæ
Tinctura, Accessorii loco addita, idem
commodius præstare videntur.

x. Accessoriis primæ classis (247. γ. i.)
heic non opus: at alterius (ibid. 2.) admit-
tuntur. Hæc tamen & sint ejusmodi, quæ,
scopo congrua, justas Emulsi dotes non
pervertant. Optima hinc Aquæ Stillatitiae
Aromaticæ, jucundiores; Syrupi excolo-
res, grati; Julepi; Saccharum; Elaeosac-
chara; Salia neutra.

λ. Pulveres si addis haud in Emulso fo-
libiles, sint saltem tenerrimi, albi, minus
ponderosi, nec in grumos abire proni: un-

de vix, nisi Terreis subtilissime lævigatis,
heic locus est.

μ. Conservæ, Electuaria, Extracta &
similia, quum consistentiam, colorem, sa-
porem, heic requisitos turbent, excludun-
tur.

ν. Acida quoque exulent; nisi cum postu-
lat Indicatio Emulsum verè acidum aut ci-
tissime acescens.

ξ. Alcalina Saporis urinosi injucunditas
prohibet.

ο. Tincturas, Spiritus, Essentias, Elixi-
ria, & similia, raro admittit scopus: licet
tamen aliquando admisceantur.

π. Saporis Odorisve gratiam ne sedulo
nimis adfectes, memor (65. 100. 101).
Plurimis Emulsum tantò arridet magis, quo
similius est Lacti Animali.

ρ. Sunt, qui depositos se credunt, cum
Medicus Emulsum propinat. Hos facile
deceperis vel Menstruum adhibendo alieni
coloris, v. g. rubri, vel similes Pulveres,
Syrupos, Tincturas, &c. intermiscendo.

250. Posteriora (248. 2.), Lacti minus
æinula, hujus modo Consistentiam & Co-
lorem, imo ne hunc quidem semper, simi-
lant, ideo saltem Emulsa dicenda, quod &
Mulgūs specie parentur, & Oleum Men-
struo Aquoso ad tempus dissolutum exhi-
beant. Differunt hinc plurimum a Priori-
bus (249.). Nam

α. Tanta heic jucunditas nec exigitur, nec acquiri potest; quia hanc vix admittunt, quæ huc pertinent, Emulgenda.

β. Nec Scopus etiam similis est (249.); cum saepius Calefactio, quam Refrigerium, heic obtineatur.

γ. Materiem Primariam (247. *β.* 2.) dant Oleosa ineraciora, difficilius in Aqua solubilia: ut Olea & Balsama liquida, spissa, solida, Peruvian. Copaib. Terebinthina, Tolutan. &c. Resinæ & Gummi-Resinæ, Jalapp. Scammon. Juniper. Mastiche, Myrrha, Opopanax, Ammoniacum; Rad. Jalappæ, & similia. Hæc ut reddantur meabiliora, facilius ingerenda, commodè sub hac forma exhibentur.

δ. Et heic tamen abstinendum a Fœtidissimis, quibus forma Pilularis aptior (162. n.).

ε. Menstruum non adeo discrepat ab illo Priorum (249. *α.*). Aquis tamen, (ibid. *β.*), Aromaticis, Spirituosis & Vinosis, potior heic locus est, tum ob (*β.*) tum quia Materiem (*γ.*) solvunt facilius. Unde & Vinum ipsum nonnunquam adhibetur.

ζ. Accessoria primæ classis (247. *γ.* 1.) heic potissimum usui sunt: pleraque enim Emulgendorum (*γ.*) sine iis Menstruum Aquosum (*ε.*) planè respuunt. Utendum igitur tanto potentioribus, quo & Materies (*γ.*) tenacior est ac difficilius solvenda,

& Menstruum ($\gamma.$) magis Aquosum, & Solutio exactior desideratur.

$\eta.$ Vitellus Ovi, saponacea vi reliquis superior, vel tenacissima etiam aquæ aptat. Saccharum, Syrupi, Mel, minus efficacia sunt. Mel insuper colorem magis obfuscat. Sapo vulgaris itidem heic adhiberi potest; modo Indicationi, Aegrique gustui, non repugnet.

$\vartheta.$ Quandoque, dum minor est Emulgendi ($\gamma.$) quantitas, Materies Primaria Emulsi prioris (247. $\beta.$ i.) Accessorii loco recipitur: v. g. Semina aut Nuclei oleosi, Amygdala quædam, &c. Hæc enim intertrita, dum farinam & oleum minus tenax fundunt, ac Materiei difficilius solubilis particulis interponunt, sic satis pulchre Saponis vices præstant, simulque Emulsum præbent priori (249.) similius.

$\iota.$ Accessoria alterius classis (247. $\gamma.$ 2.) similia sunt ante (249. $\kappa.$ &c.) memoratis. Spirituosa saltē (ibid. o.) crebrius heic locum habent ob (250. $\beta.$ e.): neque Sapori, Odori, Colori, tantopere studetur (ibid. $\alpha.$):

251. ORDO, utrobiique (249. 250.), Emulgendis primum dat locum: his subjungit, in Emulsis (250.), Accessorium Saponaceum: Menstruum dein; ac tandem Accessoria classis posterioris (247. $\gamma.$ 2.). Varias autem singulorum Species pro suo quicunque arbitrio digerit:

252. DOSIS eadem ferè est, quæ SUCCI Expressi (239.), pariterque vel Pondere vel Mensura determinatur. Priora quidem (249.), magis quippe ut plurimum diffusa, ad Cyathum, Unciam j. ij. &c. quandoque & ad lubitum pro potu familiari exhibentur: Posteriora (250.) ad Cochlearium, Drachmam j. ij, alias tamen & ad Unc. j. & plures; prout magis minusve potentia sunt, diluta, aut nauseosa, scopus varius, Aeger facilis vel difficilis, &c. (Vid. 66. & 67. d.).

253. QUANTITAS GENERALIS non-nunquam Dosi unica (252.) haud major est: quod maximè obtinet in Emulsis (250.). Neque expedit hæc in usum plurium diērum præscribere, nisi exactissimè sint ligata; quum mora divortium faciat. Emulsa (249.) facile acescunt, & eò quidem citius, quo calidior est tempestas; ut hinc æstate calidâ vix ultra 6. vel 7. horas, hyeme tamen nycthemeri spatio ferè incorrupta persistent. Dosis igitur Molem (252.), usus frequen-tiam, & Atmosphæræ calorem inter se comparans haud plus præscribe simul, quam ante acorem natum queat consumi; nisi forte Indicatio hancce mutationem com-mendet, nec Aeger ab ea alienus sit.

254. PROPORTIO mutua Ingredientium plurimum heic variat pro horum & Indi-cationis diversitate.

α. Emulsa (249.), prout vel Refrigerandi solum ac Humeſtandi, vel Nutriendi, Sopiendi, &c. scopo inservient, plus minusve diluta parantur.

β. Spissiora fiunt, si Menſtrui ad Materiem Emulgendam Proportio tripla, quadrupla, quintupla eſt: Dilutissima, si duo-decupla ad vigecuplam uſque: Media, si octupla.

γ. Ratio tamē habeatur magnitudinis Seminum & Nucleorum (247. *β.* 1.): quo enim minora hæc ſunt, eo parciore Medulla, plure Cortice, constant. Medulla autem eſt, quæ in Emulſum tranſit. Unde Seminum minorum quantitas eadem eandem Menſtrui copiam saturabit minus, quam tantundem Nucleorum.

δ. Plerumque Menſtrui q. f. præſcribitur, nec niſi quantitas Colaturæ determinatur: imò quandoque ne hæc quidem; tumque Pharmacopœus mediam ferè ſequitur Proportionem (*β.*).

ε. In Emulfis (250.) & Materiæ (247. *β.* 2.) major minorve ſolubilitas, & hujus atque Accessorii (ibid. *γ.* 1. & 250. *ζ.* &c.) requiſita quantitas, ſimul ſpectandæ veniunt, ut Menſtrui Proportio ritè determinetur; quæ cæterum datæ (*β.*) haud abſimilis eſt, & quandoque Pharmacopœi etiam arbitrio committitur (*δ.*); maximè ſi Emulſum unicam ſaltem Dofin (252.) continet.

ζ. Accessorii autem (247. γ. 1.) quantitas, ratione Materiæ, sumitur dupla, tripla, quadrupla; prout id potentius est vel debilius (250. ζ. n. δ.), & Emulgendi indoles magis minusve refractaria. Hinc fere usitatissimum est, Vitell. Ovi q. s. præstituere: quod ipsum & obtinet circa Accessorium (250. δ.).

η. Accessoria classis secundæ (247. γ. 2.) vix strictiores ferunt regulas, quam (217. & 241. δ.). Pulverulentorum (249. λ.) Scrup. j. Dulcium Drach. β. sufficit pro Uncia j. Emulsi. Vide tamen in Emulsis (250.), an & Saccharo aut Melle jam sis usus loco Saponis (247. γ. 1.), tum quoisque Materiæ injucunditas correctionem postulet, & num Infantι, an Adulto, &c. præscribas. Emulsa (249.) ne Salibus nimiis ingratiora reddas. Emulsi Unc. iv. vix ultra Scrup. j. recipiant. Reliqua, ut scopus exigit, addantur.

255. SUBSCRIPTIO in Emulso Priore (249.) jubet simpliciter, *F. l. a. Emulso.* Determinatur item Colaturæ quantitas, si Menstrui q. s. præscriptum est (254. δ.). Tandem memorantur Admiscenda. Vasis mentione haud opus. In Posteriore (250.) præcipitur Emulgendi cum suo Sapone (247. γ. 2.), si quis accedit, accurata subactio, Menstruique postea & reliquorum admistio partitis vicibus facienda. Modus

autem Emulgendi, & cæteræ encheireses
huc pertinentes, ut Pharmacopœo, sic &
Medico, supponuntur cognitæ (7. γ. 8.).

256. SIGNATURA, præter vulgaria sæpe
memorata, commendat saltem, Emulsum
(249.), sub Aqua frigida, aut in loco sub-
terraneo, frigido, servandum esse, ne ace-
cat (ibid.). Quandoque & Concussio an-
te usum instituenda jubetur, si Pulverulen-
ta non solubilia accesserunt, aut Emulsi Po-
sterioris (250.) secessus per moram metui-
tur.

257. USUS Emulorum minus universa-
lis est, quam (222.). Priora tamen (249.),
vel delicatioribus etiam gratissima, appositè
dantur, ubi Refrigerandum, Detmulcen-
dum, Humestandum, Incrassandum, levi-
ter Nutriendum, Sopiendum, sine calore
Reficiendum, Acre biliosum, putridum,
Alcalinum, temperandum: quandoque &
Diaphoresi, Urinis, rarius Alvo, move-
dis accommodantur. Facili Acore nocent
Acido laborantibus, Frigidis. Posteriora
(250.) in universum iis apta sunt Indicatio-
nibus, quibus Materies eorum (247. β. 2.
250. γ.) laudatur; utpote quam sub forma
meabiliore exhibit. Plerisque tamen in-
gratiora sunt, si Odore & Sapore molesto
prædicta, ut sæpiissime fit, recipiunt. Al-
vo cæterum, Urinis, Sudoribus, move-
dis, Vermibus fugandis, Ulceribus inter-

nis abstergendis, Nervis roborandis, &c.
idonea habentur.

258. SPECIMINA funto.

* * *

Emulsio Anti-Alcalica.

Vide H. Bœrh. Mat. Med. p. 51.

Rx. *Avenæ excortic.* unc. iiij.F. cum *Aq. pur.* q. s. Emulsio, cuius
Lib. β. admisce*Nitri puri* drach. β.*Syrup. Violar.* unc. j.*Aceti Squillit.* drach. ij.

S. Utatur pro potu familiari.

* * *

Emulsio Nutriens, Demulcens, Incrassans,
spissa.Rx. *Amygdal. dulc. excortic.* unc. ij.*Amaror. excortic.* No. ij.*Aqua pur.* fervent. unc. i.F. l. a. Emulsio. Colaturæ fortiter ex-
pressæ admisce*Aq. stillat. Cinnam.* unc. j.*Sacchar. albiss.* drach. vij.

M.

S. *Amygdalatum*, de quo capiat Aeger omni
semibora Cochlearium.

* * *

Emulsio Narcotica.

Vid. H. Bœrh. Mat. Med. p. 64.

Rx. *Sem. Papav. alb.* contus, unc. ij.

*Cum Aq. Decoct. Hord. F. Emulsio, cu-
jus Unc. x. admisce*

Syrup. Diacod. unc. iij.

*Tinct. Opii cum Spir. Vini rectif.
gutt. xx.*

Aq. stillat. Cinnamom. drach iij.

Cortic. Citrei. drach. x.

*S. Capiat Unc. iij. omni 1/2 hora, donec inci-
piat leniri Dolor.*

Emulsio Lubricans, Diuretica.

Vide H. Boerh. Mat. Med. p. 243. 244.

Rx. Semin. Cardui Matriæ

Bardanæ

Fœniculi ana drach. vij.

Papaver. alb. unc. j.

Amygdal. dulc. No. xx.

Infusi Rad. Liquirit. q. s.

*F. l. a. Emulsio. Colatur. Lib. iiij.
admisce*

Sal. Prunellæ drach. iij.

Syr. Papaver. alb. unc. iij.

D. usui.

*S. Bibat omni semihora Unc. iij. Servetur La-
gena sub Aqua frigida, aut in cella.*

* * *

Emulsum Antihelminticum.

Vid. Ibid. p. 229.

Rx. Gumm. Opopanax. drach. j.

Vitell. Ovor. drach. iij.

M. s. a. dein adde

Sapon. Venet. drach. j.

Syrup. Artemis. unc. iij.

Aq. stillat. Fæniculi unc. iiij.

M.

S. Capiat Drach. j. omni quadriborio, cum regimine.

* * *
Emulsum Purgans, forte, Scammoneatum,
 ad Hydropem.

Vide H. Boerh. Mat. Med. p. 210.

R. Semin. *Carthami* drach. ij.

Scammon. pur. gr. viij.

Contusis adfunde paulatim

Aq. stillat. Cort. Aurant. unc. j.

Tum colatis misce

Syrup. de Spina Cervina. drach. ij.

S. Sit pro Dosi, mane.

* * *
Emulsio Balsamica, ad Ulcera interna,
 Phthisin, Gonorrhœam, Paralysin.

Vid. Ibid. p. 197. 247.

Et Harris de Morb. Infant. Lib. II. Obs. II.

R. *Terebinthin. nativ.* drach. iiij.

Vitell. Ovor. q. f.

Probè subactis admisce sensim

Mellis alb. drach. iiij.

Aq. stillat. Bacc. Juniper. unc. iiij.

S. Ut in Fronte. Sumat Aeger omni quadriborio Cochlearium, semper ante usum concutiendo Lagenam.

De Mixturis Internis.

259. **M**IXTURÆ sunt Medicamenta interna, fluida, solâ variorum inter se mistione parata. Unde facile a prioribus (211. 214. 235. 246.) distinguuntur.

260. Tres earum (259.) Species usitatæ sunt. (1.) Diffusissima, quæ *Julapium* audit. (2.) Media, quæ proprie *Mixtura* vocatur. (3.) Contracta, cui nomen varium; ut infra patebit. De singulis seorsim.

De Julapio.

261. **J**ULAPIUM, *Julepus Recentiorum*, est Mixturæ Species dilutissima, ferè diaphana, ex Sapore, Odore, Colore, jucundioribus conflata, Potum hinc suavem exhibens pluribus Dosis destinatum. Veterum ergo *Julepus*, qui dilutior Syrupus est, a Nostro discrepat Spissitate.

262. MATERIES in genere vel *Excipit*, vel *Excipitur*.

α. *Excipiens*, ut Basis vel Menstruum, est Liquor tenuis, limpidus, sœpe aquosus, non injucundus, diluendis reliquis inferiens.

β. *Excipienda* sunt, quæcunque in (*α.*) soluta gratiam huic & virtutem expeditam conciliare queunt.

263. **D**ELECTUM utriusque (262.*α.* *β.*) limitant Dotes in Julapio requisitæ. Notetur ergo

α. Dari id frequentissime loco potus familiaris, aut grati vehiculi Medicamentis aliis superbibendi, hinc in eo desiderari maxime Tenuitatem, Claritatem, Saporem reficientem, ex dulci acidum, aliumve non injucundum, Odorem suavem vel nullum, Colorem nullum vel hilarem, rubellum præprimis. Quare

β. *Excipiens* ferè præbent Liquores, Sapore, Odore, Colore, nullis aut in universum suavibus præediti.

1. Aqua simplex, cocta, præ reliquis aptissima, cito parabilis, Excipiendis pulchre se adcommodans, nec horum dotes destruens, aut vi aliena pervertens.

2. Vel Aqua Stillatitia, Officinalis, Iners: ut Acetosæ, Borraginis, Buglossi, Endiviae, Lactucæ, Sempervivi, &c. His tamen Simplex (1.) præferenda; quum ferè semper Destillationem sapiant. Aut alia Sapore & Odore leni suavior: ut Melissæ, Rosarum, Cerasor. nigr. Citri totius, &c.

3. Vel Infusum Aqueum (211), jucundius, promtè parabile: ut Flor. Tunicae, Rosar. Violar. Bellidis, Rhœados, Pomor. Citrei, aut Conservarum similium, &c.

4. Vel Decoctum (224.) simile, dilutum: ut Hordei, Rad. Scorzoner. Cornu Cervi, Passular. Tamarindor. Panis, &c.

5. Vel Vinum Rhenanum, Mosellanum, aliudve acidulum: quæ scopo Cardiaco

aptiora, cum motus humorum paulò au-
tior non nocet.

6. Vel Phlegma Vitrioli dilutius, aut Serum Lactis tenuē, acidulum. Hoc ta-
men probe purum, nec turbidum, requi-
ritur.

7. Vel denique hactenus (1. ad 6.) recen-
sitorum aliqua conjunctim.

γ. *Excipienda* (262. β.) ejusmodi heic
conveniunt, quæ simul & suavitatem Excipi-
entis augere, & integre in hoc dissolvi
queunt. Qualia sunt

1. Aquæ Stillatitiæ Aromaticæ, fortio-
res: ut Cinnamom. Pulegii, Majoran. Ros-
marin. Florum & Cort. Aurant. Citri, &c.
Quandoque & Vinum simile (β. 5.), nisi id
fuerit Excipiens. Atque hæc quidem ut Ex-
cipientia Secundaria considerari possunt.

2. Succi dulces, acidi, recentes, Fru-
ctuum horæorum: uti Cerasor. Ribium,
Berberum Rubi Idæi, Citri, Aurantior.
Granator. Pomor. redolent. &c. Hos verò
dum præstituis, vide, an recentes eo tem-
pore acquirere liceat (237. n.): quanquam
& servari in Officinis diu queant incorrupti
(242. ε.).

3. Tincturæ Acido-aquosæ, rubræ: v.
g. Florum 4. Cordial. Tunicæ, Bellidis,
Aquileg. Rhœados, Granor. Kermes, & si-
milium: quæ alias Excipientis etiam vicem
præstant (β. 3.).

4. Tincturæ Spirituosaæ, suavissimæ: ut Cort. Cinnamom. Citri, Aurantior. Cassiæ, Croci, &c. ubi stimulo quodam opus.

5. Aut Spiritus Ardentis, Simplices, vel jucundiore Vegetantium Spiritu Rectore per Destillationem imbuti: ut Rosar. Angelic. Lavendul. Meliss. Cinnamom. Citri, Aurantior. Cerasor. nigror. Aq. Vitæ Matthioli, Balsam. Embryon. &c. quorum usus in simili casu (4.)

6. Frequentius tamen Spiritus Acidi, Vegetabiles, vel Fossiles: Acetum stillatit. Spiritus Salis, Nitri, sinceri vel dulces, Sulphuris, Vitrioli, Clyssus Antimon. &c.

7. Syrupi Officinales, omni dote jucundissimi, excolores, rubri, aut ab Acido rubentes, e Succis Fructuum (2.) parati, aut alii; ut Flor. Acaciæ, Rosar. Violar. Tunicae, Borragin. Rhœad. Herb. Capillor. Vener. Melissæ, Cort. Cinnamom. Citri, Granor. Kermes, Caryophillor. &c. Quo pertinent & Brodia Conditurarum, & Julepi Officinales, tum Oxymella, Oxysacchara.

8. Rob & Gelatinæ e Succis Fructuum (2.) facta: quibus & accensenda, quæ de Cornu Cervi paratur, nonnunquam heic usitata.

9. Saccharum vel simplex album, vel varia arte, una cum aliis non injucundis, in

Tabulas, Rotulas, Elæosacchara, &c. redactum.

10. Salia sicca: quorum tamen vix nisi Neutris, atque hæc inter soli fere Nitro, Sali Prunellæ, aut Polychresto, locus heic est.

δ. Pulverulenta, non solubilia, raro admiscentur: crassiora saltem nunquam; aliquando tamen subtilissimè lœvigata, minus ponderosa, non ingrata, aut Saporis & Odo-
ris expertia, præcipuè Absorbentia Terre-
stria, Corallia v. g. Margaritæ, Cornu
Cervi, &c. Ab his tamen abstinentum
quoque, si Acidæ accedant ob (101. 102.)

ε. Conservæ vix usum habent, nisi pro paranda Infusi specie (β. 3.)

ζ. Electuaria, Extracta, Tincturæ, Ef-
fentiæ, Spiritus, & similia, quæ Spissitate,
Colore, Sapore, Odore, Julapium injunc-
dius faciunt, excluduntur (α.). Excipe
saltem Confectiones quasdam gratiores: ut
Alkermes, Hyacinthor. &c.

η. Scito tamen, & nimia peccari posse
Suavitate (85. 100. 101.). Cave ergo, ne
Dulcibus, tum ne Acidis, abutaris. Con-
servæ, Syrupi, Rob, Saccharata, dum in-
grediuntur copiosa, Saccharo superaddito
non opus. Acidum Fossile defectum Ve-
getabilis saltem suppleat.

Ω. Ubi Acidum Fossile (γ. 6.) & Salia,
(10.) simul jungis, memento dictorum
(102. μ.).

1. Numero denique conciso & simplicitati heic studendum: neque enim recensitorum ($\beta.\gamma.$) singula congerere, sed quædam scopo aptiora arte conjungere expedit. Naturæ plerumque amicissimum est, quod non multorum mistione natum (29.).

2. Ex hac tenus dictis patet, *Hydrosaccharum* & *Oxyhydrosaccharum* Species esse Julapiorum.

264. ORDO præmittit ferè Liquidum Excipiens (263. $\beta.$); huic proxime subjungit, aliud Secundarium (ibid. $\gamma.$ 1.); tum Excipienda ponit juxta (57. $\beta.$ $\gamma.$ ε.). Quandoque & ultimus Excipienti datur locus: quod tamen minus convenit, si Infusum vel Decoctum Magistrale (263. $\beta.$ 3. 4.) ejus vicem præstat.

265. DOSIS vel Pondere definitur ad Unc. j. ij. iij. &c. vel Mensurâ ad Cyathum v. g. aut Infantibus ad Cochlearium. Sæpe autem, loco potus familiaris, quantum urgens sitis exigit, conceditur: ubi tamen plerumque satius est, haustu parciore, tanto frequentius repetito, uti, quam grandiore simul ingestu inundare stomachum.

266. QUANTITAS GENERALIS, pro Dosis (265.) mole, usûs frequentia, siti magis minusve intensâ, major vel minor, ad Lib. j. ij. iij. iv. usque augetur: quin vel Infantibus quoque vix Libr. $\beta.$ minor datur. Neque heic corruptio facilis, ut in Emulsis (253.) arctiores limites ponit. M 2

267. PROPORTIO mutua Ingredientium
in genere quidem talis statuitur, ut capiantur.

Ad *Excipientis* (263. β.) Lib. j. vel Unc. XII.

Excipient. Secundarii (ibid. γ. i.) - Unc. j. ii.

Succorum (ibid. 2^o) - - - Unc. ij. iii.

Tinctur. Acido-aquos. (ibid. 3.) - Unc. j. i $\frac{1}{2}$.

Spirituosorum (ibid. 4. 5.) - Drach. ij. vij.

Syrup. Balsodior. Fulepor. Rob. Gelatinar. &c. (ibid. 7. 8.) - - - Unc. ij. iii.

Confectionum (ibid. ζ.) - - - Drach. ij. vij.

Salium (ibid. γ. 10.) - - - Drach. $\frac{1}{2}$. j.

Pulverum (ibid. δ.) - - - Drach. j. ij.

Aceti destillati (ibid. γ. 6.) - - - Unc. j. i $\frac{1}{2}$.

Acidorum Fossilium (ibid.) pro varia
puritate - - - Gutt. xx. Drach. j.
vel q. s. ad gratum acorem.

Sacchari (ibid. 9.) - - - Unc. j. i $\frac{1}{2}$.

vel q. s. ad gratam dulcedinem.

Circa hæc tamen notari velim, præter jam
dicta (263. i.).

α. Indicationum, Gustuum, aliarumque
conditionum varietatem tot parere in casi-
bus singularibus exceptiones; ut sæpius
quam longissime a modo data generali re-
gula deflectatur. Hinc

β. Ubi excitandum, calefaciendum, Vi-
ni, Aromaticorum, Spirituosorum (263.
γ. i. 4. 5.) non raro multum augeri Propor-
tionem: ut ideo vel Vinum quoque tum
quandoque Basin constituat (ibid. β. 5.).

γ. Infusa vel Decocta Magistralia (ibid. 3.4.) si Excipientis loco adhibentur, hæc requiri dilutiora. Unde Specierum Unc. j. ad Menstrui Libr. j. ferè sufficit. (Vid. Histor. Infus. & Decoctor.).

δ. Salium (263. γ. 10.) parciorem ideo addi copiam, ne amarore injucunditatem crēent.

ε. Pulverum, Rob, Gelatinarum, & similiū majore quantitate justam Julapii consistentiam (261.) perverti.

ζ. In Proportione Dulcium & Acidorum determinanda tenendam esse regulam (263. η.). Ipsum quandoque Excipiens acidum aut dulce est (ibid. β. 3.4.5.6.). Acidum Fossile copiosius austерitatē parit. Sacchari major quantitas, ut multis minus grata, ita sanguinem solvendo in sudorem pronos disfluere facit.

268. SUBSCRIPTIO ponit: *M. F. Julapium D. ad Vitrum.* Ubi autem obtinet (267. γ.). Infusionis vel Decoctionis modus, ac deinde admistio reliquorum, juxta ante (219. 231.) dicta, injungitur prius: quamquam sæpiissime Infusa vel Decocta heic usitata, tanquam Officinalia, præscribantur, ut quorum præparatio Pharmacopœo satis nota sit.

269. SIGNATURA ex (60.261.265.) facile patet. Monetur tamen quandoque, dum minor Humorum meabilitas actu fri-

gida prohibet, Julapium calidum bibendum esse. Potionem frigidam plerumque satis amant Aegri; ut vix mandato peculiari opus sit.

270. Usus ut jucundissimus, ita maximè commendabilis est in Acutis, & Chronicis; ubi calor aut frigus nimia, corruptio Humorum Alcalina, lensor, sitis vehementes, vires collapsæ, &c. Petuntur & hinc Vehicula aliis Medicamentis vel facilius ingerendis, vel promovendis, aptissima.

271. SPECIMINA sunto.

* * *

Julapium in Frigore Febris Intermittentis conveniens.

Vid. H. Bœr. Mat. Med. p. 120.

R. *Aq. decoct. Hord. unc. xxx.*

Oxymel. simpl. unc. iiij.

*Aq. stillat. Caryophill. arom. unc. ij.
M.*

S. *Capiat Unc. ij. omni 1/4 horæ, calide valde forbendas.*

* * *

Julapium Roborans, Anti-Acidum, Calefaciens.

R. *Aq. stillat. Cerasor. nigror. unc. viij.*

Pulegii unc. ij.

Cinnamom. unc. iiij.

Vitæ Matthioli. unc. 5.

Margarit. ppt. drach. iiij.

Confect. Alkermes drach. ij.

Elæosacchar. Citri drachm. iiij.

M. D. ad Vitrum.

S. *Julapium Perlatum, de quo capiat Unc. j.*
omni semihora in Languore: aut sit pro ve-
biculo alterius Medicamenti.

* * *
Julapium ex Decocto Magistrali, Cardia-
cum, ad Dolores a Partu.

Vid. H. Bœrh. Mat. Med. p. 219.

R. Hord. mund.

Avenæ integræ ana unc. j.

Cum Aq. decoct. spatio 1/2 horæ Lib.
iiij. admisce

Vini Rhenan. Lib. j.

Aq. Stillat. Cinnamom. unc. ij.

Syrup. Kermefin. unc. iij.

M.

S. *Hujus Unc. ij. superbibat singulis Dosibus*
Mixturæ Anodynæ, ibidem descriptæ, do-
nec sopiatur Dolor.

* *
Julapium specie Infusi, Antiphlogisti-
cum, in Variolis utile.

Vid. Ibid. p. 238. & seq.

R. Flor. Papaver. Errat.

Tunicæ ana m. f.

Infunde cum Aq. puræ, calidæ, Unc. xx.
stent vase clauso, calore leni, per 3.

horas. Colaturæ expressæ adde

Spir. Sulphuris per camp. gutt. xx.

Sal Polychrest. drach. iij.

Syrup. Flor. Rhæad. unc. iij.

M.

S. *Bibat, quantum lubet.*

Aliud, Spiritus excitans in Gangræna a
causa calida, temperie alcalina.

Vid. H. Bœrh. ibid. p. 95.

R. *Rob. Ribefiorum*

Berberis ana unc. ij.

Spir. Salis. drach. 3.

Aq. stillat. Melissæ. unc. vij.

Vini Rhenani. unc. x.

M.

S. *Capiat Unc. j. omni horâ.*

Julapium Confortans in metu Abortûs
ab incommodis Graviditatis, ad
Exemplum ibid. p. 217.

R. *Vini Rhenan. Libr. ij.*

Aq. Stillat. Cort. Citrei. unc. iv.

Tinctur. Granor. Kermes unc. ij.

Cinnamom.

Balsam. Embryon. ana unc. j.

Gelatin. Cornu Cerv. citrat. unc. iij.

Syrup. Rubi Idæi unc. ij.

M.

S. *Capiat Unc. iij. in Languore.*

De Mixtura.

272. **M**IXTURA MEDIA (260. 2.) est Mix-
turæ (259.) Species, Julapio

(261.) spissior, minore mole efficax, quacunque dote injucundiora etiam admittens, una vel pluribus Dosis, haud tamen per Guttas determinatis, constans.

273. MATERIES, ut (262.), duplex est, *Excipiens* vel *Excipienda*.

α. *Excipiens* est Liquor quicunque, interno usui aptus, non minima Dosi efficax (272.), saepissime hinc Aquosus, quandoque & Vinosus aut Spirituosus: aut Aquæ stillatitiæ, simplices, compositæ; Decocta; Infusa; Vina, &c.

β. *Excipienda* sunt in genere Sicca, Molla, & Liquida omnia, (128. *α.* *β.* *γ.*) memorata, & quæcunque alia interno usui dicata.

274. DELECTUM sola ferè heic figit Virtus Medicata. Neque enim adeo Tenuitatis, Claritatis, Saporis, Odoris, Coloris, ratio habetur, ut in Julapio (263.): quamquam & hæc tamen prorsus negligenda non sint; præcipuè verò Spissitudo, cuius excessus valde heic incommodat. Pauca hinc addo.

α. Aquæ Stillatitiæ præ reliquis frequenterissimè Excipientis loco serviunt; quum & euicunque fere scopo congruae prostent, & tenuitate sua excipiendis aliis magis aptæ sint. Inertiores igitur Efficacioribus junguntur, ubi Virtus paullo magis diffundenda.

β. Decocta & Infusa, quorum præparatio simul adscribenda est, huc non pertinent, sed ad (211. 224.): haud enim alia ad Mixturas adhibentur, nisi quæ Subscriptione non egent (268.): Sint autem satis tenuia, si Sicci aut Spissi plusculum recipere debent.

γ. Pulverulenta, non solubilia, si quæ huc, uti creberrime fieri solet, accedunt, requiruntur saltem minus crassa, subtiliora; ne deglutienti molestiam creent.

δ. Exulent quoque ponderosiora specificæ, si in Excipiente solvi nequeunt; quum citissime fundum potentia Doses virtute minus æquales efficiant: licet interim ferri quodammodo possint, si Dosis unica totam Mixturam absolvit.

ε. Gummosa, quæ aquis soluta mucilaginem fundunt, vel omittenda, vel miscenda parcus; ne lentorem heic ingratum pariant.

ζ. Pinguia, ut aqueo Excipienti intermisceantur æquabilius, Saponem postulant intermedium. Ad tenaciora igitur, v. g. Sperma Ceti, Terebinthinam, & similia, utimur Vitello Ovi; ad liquidiora, aut quorum parcior modo quantitas accedit, v. g. Olea Aromatica, pressa, stillatitia, Balsama liquida, nativa, artefacta, &c. Saccharum sufficit (250. γ. ζ. n.).

η. Gummi - resinæ, ut Ammoniacum,

Galbanum, &c. Aceto vel Vino ut plurimum soluta prius adhibentur.

3. Cavendum heic tanto magis, ne congerantur, quæ inter se mista effervescent, præcipitantur, mutantur incongrue, aut destruuntur; quia forma fluida his motibus excitandis plerumque aptior. (Vid. 97. ad 103.). Est tamen, ubi Medicus data opera talia conjungit, ut scopum suum obtineat felicius.

4. Saporem, Odorem, Colorem, si corrigere paras, memento (85. 99. 100. 101.); ne vel scopo excidas, vel vanitatem prodas.

5. Tandem, ut ubique, ita & heic brevis esto & concinnus, non adeo ingredientium numero, quam efficaciæ & nitori compositionis, studens; ut perito facile sit scopum eruere: Chaos aliter potius, quam Mixturam, facies (29.).

275. ORDO idem, nec magis constans heic observatur, quam in Julapio (264.)

276. DOSIS, minor, quam Julapii (265.), plerumque Cochleario j. vel ij, aut Vasculo Theæ potui dicato, aut Pondere Drach. j. ad Unc. β. determinatur. Quandoque tamen & ad Cyathum, aut Unc. j. ij. iij. ascendit: quod maxime obtinet, si unicus tantum Haustus exhibetur. Alias & per portiones totius Mixturæ definitur Dosis; ut dimidia, tertia, quarta pars simul capi-

enda jubeatur: ubi cavendum, ne portio molem Haustūs excedat. Cæterum & heic ex usu est observasse dicta (67. §. e.).

277. QUANTITAS GENERALIS alias unam modo Dofin (276) complectitur, alias plures. Si prius; *Haustus* vocatur, qui Unc. iij. vix major sit (ibid.): si posterius; quandoque Unc. vij. viij. imò Libram Mixtura excedit, prout Numerus Dofium, juxta conditiones (67.), minor majorve requiritur.

278. PROPORTIO mutua Ingredientium heic maxime determinatur tum ex Virtute Medicata singulorum, & seorsim, & respectu miscelæ, considerata (87. α. β.), tum ex justa Mixturæ Consistentia (272 274.), comparatis ad (276. 277.). Unde

α. Si nonnisi liquida sunt Excipienda (273. β.), Consistentiæ nulla habita ratione, Virtuti saltem intentus tuam sequere Indicationem.

β. Ubi autem & Sicca & Mollia (ibid.) accedunt, cavendum a nimia Spissitudine (274.). Unde tum hæc ferè obtinet generalis regula, ut misceatur ad

Excipientis - - - Unciam j.

Mollium: v. g. Electuarii, Rob, Conservæ, Pulpæ, & similiū - Drachma j.

Siccorum: uti Extracti, Succidensi, Massæ Pilul. Pulveris, &c. - Scrup. j. iß.

Sacchari - - - Drach. j. iij.]

vel

Syrupi - - - Drach. j. ij. iii.]

$\gamma.$ Augeri ergo potest Mollium quantitas ad ij. etiam Drachmas, Siccorum verò ad Drach. j, si alterutrum saltem recipiatur.

$\delta.$ Quin & Excipientis Consistentia discrepantiam heic facit ; prout vel tenuior fuerit Liquor, vel Infusum Decoctumve spissius (273. a.).

$\varepsilon.$ Vide quoque, an Excipienda Liquida (ibid. $\beta.$) accedant : hæc enim & majori Spissiorum quantitati locum dant.

$\zeta.$ Salium Siccorum Proportio invenitur ex eorum efficacia, & magis minusve facilis solutione : licet tamen haud semper plenè soluta heic requirantur, sed, Pulverum instar, usus tempore, agitando diffundi queant minus dissoluta.

$\eta.$ Circa Sacchari & Syruporum quantitatem repete dicta (267. $\zeta.$). Augetur ea quandoque longè ultra terminum positum ($\beta.$), Ubi resinosis, Balsamicis, Oleosis, &c. cum Aqua constantius jungendis conferre debet ; quum paullo major Mixturæ spissitudo secessui etiam magis obstat.

$\vartheta.$ Haustus quoque (277.) auctiorem fert Siccorum & Mollium proportionem, si Dosis efficax id postulat. Plurimi malunt parcam spissioris molem, quam grandem, aut plures liquidioris Doses ingerere.

} vel q. f.

279. SUBSCRIPTIO mandat. *M.F.Haustus*, si pro una Dosi est (277.): si pro pluribus, solum *M.* sufficit. Adjungi potest *D. ad Vitrum*. Et hoc exactè obthurandum jubetur, si dissipatio vel corruptio ab aëre liberiore metuitur. Aliquando Excipienda sicca seorsim, Pulverum specie (106.), uti (242. *d. in fine.*), dantur, ut demum paullò ante usum intermisceantur Liquidis. Duabus igitur formulis tunc utimur. Obtinet id, si ex mixtione nascens Effervescentia comitari usum debet, aut æqualiores majoresve Pulverum Doses simul ingeri scopus postulat.

280. SIGNATURA ex (60. 272. 276. 277.) intelligitur. Monendum quandoque, calidè an frigidè capiendæ sint Doses (Vid. 123. *y. 3.*). *Vehiculum* superbibendum sæpe præbent Julapia (263. *a.*): gravioribus tamen, nisi alia id exigant, nullo opus. Ubi obtinet (279. *in fine.*), utendi modus pro ratione determinatur.

281. USUS Mixturæ ut frequentissimus est, & per quam facilis plerisque, ita æquè universalis, ac Infusi (222.); imò vel magis etiam, quia citissime parabilis illa subitanis quoque in casibus promptam fert opem: ut ideo vix morbus detur interna postulans, quin hanc admittat Formulam.

282. SPECIMINA funto.

* * *

Haustus Ant-emeticus.

Vid. H. Børh. Mat. Med. p. 129.

Rx. *Succi recent. Citrei unc. 5.**Vini Rhenan. unc. j.*

M.

Rx. *Salis Absinthii drach. j.*

D. utraque seorsim.

S. *Pulverem misceat Liquori, moxque in ipso
actu effervescentiæ hauriat.** * *
Mixtura Anti-Alcalica, Saponacea,
Abstergens.

Vid. Ibid. p. 51.

Rx. *Oxymell. Squillit. unc. iij.**Aceti Squillit. drach. ij.**Myrrhæ in Aceto solutæ in Tinctu-
ram. drach. j.**Aq. stillat. Cichorei. unc. vj.*

M.

S. *Capiat Unc. 5. omni hora.** * *
Mixtura Cardiaca, pretiosa, Calefaciens,
Diaphoretica.Rx. *Infus. Lap. Porcini Malacc. in Aq.
Card. Bened. fact. unc. iv.**Vin. Rhenan. generosiss. unc. ij.**Aq. Stillatit. Cinnamom. unc. 5.**Extract. Essential. Croci gutt. iv.**Confect. Alkermes drach. vj.*

M.

S. Sumat omni semihora Cochlear. j.

* * *

Mixtura Opiata, Antacida, Roborans,
ad Dolores a Partu.

Vid. H. Bœrh. Mat. Med. p. 219.

℞. Lapid. Cancror. drach. iij.

Corall. rubr. drach. ij.

Margarit. drach. j.

Laud. puri. gr. iij.

Syrup. Kermes. drach. vj.

Aq. stillat. Cort. Citrei

Melissæ

Majoranæ ana unc. iiij.

M.

S. Capiat Unc. ℥. omni 1/4 horæ, donec sopiat
tur Dolor, superbibendo Unc. ij. Julapii
Ibid. descripti.

* * *

Mixtura resolvens, Saponacea.

Vid. H. Bœrh. Mat. Med. p. 18.

℞. Aq. Stillatis. Rutæ. unc. xij.

Borac. Venet. drach. ij.

Sal. volat. oleof. drach. iij.

Mellis puriss. unc. iij.

M.

S. Capiat Unc. j. omni hora diei.

* * *

Mixtura adstringens, ad Hæmoptysin.

Vid. ibid. p. 195.

℞. Aq.

Rx. *Aq. Stillat. Flor. Rhæados.*

Plantag. ana unc. iv.

Extract. Tormentill.

Bol. Armen. lævig. ana drach. iiij.

Lap. Hæmatit. ppt. drach. j.

Syr. Myrtin. unc. j.

M.

S. *Capiat omni hora Unc. j. concusso prius vitro.*

* * *
*Hastus Emeticus, Antimoniatus,
fortis, pro Adulto.*

Rx. Oxyfæchar. Emetic. Ludovic.

Oxymell. Squillit. ana drach. vj.

Aq. Stillat. Cinnamom. unc. j.

M. F. Haustus.

S. *Sit pro Dosi.*

* * *
*Haustus Purgans, in Febre Intermittente
utilis.*

Vid. H. Bærh. Mat. Med. p. 132.

Rx. Pulver. Cornachin. drach. iiij.

*Elix. Propriet. cum Sale Tart. ppt.
gutt. xl.*

Elæosacchar. Menthæ. drach. j.

Aq. Stillatit. Menthæ. unc. j.

M.

S. *Capiat mane, die apyrexias, vacuo stomacho, pro Dosi.*

* * *
*Mixtura Balsamica, in Gonorrhœa con-
veniens.*

N

Vid. ibid. p. 247.

Rx. *Terebinth. vulgar. cum Vitell. ovi subactæ drach. ij.*

Extract. Rhei.

Sal. Prunell. ana drach. j.

Syr. Althææ Fernel. unc. j.

. *Infus. Rad. Glycyrrbiz. unc. x.*

M.

S. *Capiat omni biborio Cochlear. j. probè concussa prius lagena: superbibat Cyathum Emulsi idonei, ibid. p. 246. descripti.*

De Mixtura Contracta.

283. **M**IXTURA CONTRACTA, *Guttæ*, vocatur Mixturæ (259.) species, minore, quam prior (272.), mole efficax, ex Spirituosis tantum & ejusmodi, quorum virtus exiguo sub volumine latet, conflata, Dosis plerumque per Guttas determinata, faltem admittens. Chemicis ut originem, ita varia nomina, de quibus infra, debet hoc Remedii genus.

284. MATERIEM ergo præbent ea modo, quorum Dosis ad usus internos efficax: parvæ molis est: uti sunt Tincturæ potentiores (221. & 232.), Spiritus similes, Essentiæ, Quintæ Essentiæ, Elixiria, Balsama liquida, nativa, artefacta, Extracta Essentialia, Olea Aromaticæ, Stillatitiae, Liquores Salini coacti, & similia.

285. DELECTUM dictat Indicatio Medi-

ci, Virtus Materiæ (284.) cognita, tum singularis variorum sub miscela mutua habens. Neque enim tantopere heic Coloris, Odoris, Saporis, ratio habetur; dum compendium Formulam satis commendat.

α. Seligenda igitur talia, quæ & Virtute convenient, & amicè inter se coëunt absque vel Præcipitatione, vel Effervescentia, vel alia mutatione incongrua. Cautelas autem heic observandas vix, nisi e Chemia, hauseris.

β. Quandoque tamen & aptè conjunguntur, quæ mixta effervescent & se mutuo destruunt: Acida v. g. & Alcalina. Est, ubi mitior Medii Salis inde nascentis indolesscupo magis responder. Cave interim, ne & Præcipitatio simul comes sit; utpote quæ heic rarissime laudatur.

γ. Aquosa, Gummosa, Oleosa lenia, quæ Spirituofis non nubunt, Conservæ, Electuaria, Pulveres haud solubiles, & similia, cum virtus diffusior, tum copula minus exacta & spissitas justo major, excludit.

δ. Resinæ, Extracta solida, Massæ Pilulares, efficaciora, quandoque recipiuntur; vix tamen nisi dum Purgandi scopus est, & Dosis unica grandior exhibetur: tum vero & Saccharum, Syrupus, vel Julepus Officinalis, admittitur, quò vel solutio fiat constantior, vel menstrui spirituosi magis temperetur ardor.

ε. Salium Siccorum illis modo, quæ & parva Dosi agunt, & Spiritu ardente solubilia sunt, heic locus est. Vix ideo huc pertinent, nisi Volatilia, tum Tartarus Regeneratus, & pauca alia.

ζ. Liquores etiam Salini quandoque adhibentur; quos tamen, nisi solos des, vide, quibuscum misceas: saepe enim minus amant Spirituosa.

η. Numerus Ingredientium parcior esto! Tria vel quatuor sufficiunt. Paucis errorem facilius vitaveris, virtutis simul certior, nec molestus Pharmacopæo. Quin vel unico saepe scopum poteris obtinere, haud quidem Mixturam tunc, at Guttas tamen (283.) daturus. Congeriem majorem amanti Composita etiam Officinalia prostant, vasta satis; ut minore opus sit Compositione Magistrali.

θ. Draſtica denique si exhibueris hac sub forma, Dosis commenda ſollicitè! Hæc enim Aegro vel Adſtantibus plerumque demetienda committitur.

286. ORDO vix aliis heic obtinet, niſi quem præſcribunt regulæ (57. β. γ.). Ubi autem diſſicilius ſolvenda accedunt, v. g. Resinæ, Extracta, &c. (285. δ.), hiſ ferè primus datur locus; Menſtruum dein & ſuperaddenda ſubjuguntur.

287. Dosis ut plurimum certo Guttarum numero, minore, majore, vix tamen

ultra LX. aucto, determinatur (283.). Alias & minus efficacium Cochlear. fl. vel j. pro Dosi est. Imo Purgantium quandoque Dosis unica (285. d.) Unc. fl. vel. j. æquat.

288. QUANTITAS GENERALIS a Drach. ij. ad Unc. j. ij. ferè extenditur. Quin &, si Dosis major est, Cochleario determinata (287.), aut usus diu continuandus, aliæve conditiones (68.) urgent, plus etiam simul præscribitur; quum Ingredientia plerumque corruptioni minus pateant. Nonnunquam Dolis unica sufficit: quæ tamen si paucis Guttulis absolvitur, vix admodum huic apta Formulæ, potius idoneo cum vehiculo in Haustuli molem diffunditur.

289. PROPORTIO mutua Ingredientium vix generales admittit regulas. Ex suâ heic Indicatione præprimis, & varia miscendorum efficacia, facilique vel difficulti solutione, cognitis Medicus sibi consulit. Hinc

α. Quorum diffusior est virtus, major fere quantitas recipitur; minoreorum, quæ magis coacta sunt: qualia habentur Olea, Extracta Essentialia, Salia volatilia, Balsama, &c. Sic alia aliis adjuvantur, temperantur, corriguntur.

β. Alias tamen efficaciorum quoque vel æqua vel major convenit quantitas, quam dilutiorum; ubi Dosis compendio magis studetur.

γ. Quorum definita saltem quantitas a reliquis solvi potest, potius infrà summam proportionem receperis; ne vel pars indissoluta maneat, vel justo spissior fiat Mixtura. Huc pertinent Balsama, Olea, Resinæ, Extracta solida, &c.

δ. Draisticorum præcipuè quantitatem sollicitè sic accommoda aliis, ut ne quid nimis contineat quælibet Mixturæ Dosis.

290. SUBSCRIPTIO plerumque est: *M. D. ad Vitrum.* Quæ enim Infusione aut Decoctione parantur Magistrali, hujus non sunt loci, sed pertinent ad (211. 224.). Ubi autem miscela exactior tritum requirit, hic speciatim injungitur: uti circa Resinas, Extracta solida, & similia, ferè obtinet. Quin & Colatio tum quandoque instituenda jubetur, si materies impurior plenè dissolvi nequit. *Receptaculum* rite commendaveris subere & vesica obthurandum, ubi virtus facile dissipatur. Et & vesica duplex pro obthuramento ex usu, cum Stillicidio demetiri Dosis debet Aeger: sic enim, aciculâ perforando inferiorem, ex lagenula inversâ, concussâ, guttas ad numerum elicere facilius licet.

291. SIGNATURA, vix aliquid peculiare habet, nisi quod *Hausus* vel *Haustuli* nomine & heic utamur, si Dosis unica totam absolvit Quantitatem (288.); at si plures, a primario ferè Ingrediente peti soleat deno-

minatio: unde *Tincturæ*, *Essentiæ*, *Elixiris*, *Spiritus*, *Balsami*, *Olei*, *Liquoris*, nomina usitata sunt; quorum tamen multa etiam promiscuè adhibentur: neque enim, quam Chemici inter hæc statuunt, differentia adeo exactè heic observatur. *Guttas* in genere vocare licet, quorum Dosis hac mensura definitur. *Vehiculo* vix carere possunt efficaciora: id igitur virtute & indeole aptum eligitur, non præcipitans, mutans, destruens, repellens, dissipans Mixturæ materiem vel virtutem: *Vinum* saepissime, *Mixtura Media*(272.), aut *Julapium*(261.), *Infusum*(211.), *Decoctum*(224.) *Jusculum*, &c. ex usu sunt; *Balsamis*, *Oleosis* meraçis, *Saccharum* vel *Syrupus* maximè convenit.

292. *Usus*, uti ob compendium plurimis gratissimus est, ita præprimis locum habet, ubi vis stimulans & calefaciens, qua Formulæ hujus materies tantum non semper prædicta est, conducit: quamvis & scopo refrigerandi apta *Guttas* dare queant: uti sunt *Spiritus Fossiles* acidi, varii, &c.

293. SPECIMINA sunt.

Haustus Aquam Purgans, nec acriter tamen irritans.

Vide H. Bœrh. Mat. Med. p. 78.

Ex. *Scammon. Syriac. puri.* gr. xiv.

Spir. Reginæ Hungariæ drach. ij.

In mortario vitro s. a. tritis, & a fæce separatis admisce

200 DE MIXTURA CONTRACTA.

Syrup. Rosar. solut. cum. Senn. drach. vij.

F. Haustus.

S. Capiat pro Dosi.

Alius, Purgans, in Scorbuto utilis.

Vid. H. Bærh. Mat. Med. p. 184.

R. Pil. Coch. maj. scrup. j.

Elix. propr. cum Sale Tart. ppt. drach. j.

Spirit. Menthæ. drach. iij.

Syr. Rosar. solut. cum Senn. drach. j.

M. F. Haustus.

S. Hauriat mane pro Dosi.

* * *

Elixir, Stimulans, Resolvens.

Vid. Ibid. p. 18.

R. Elix. propr. cum Sale Tart. ppas.

Sal. Volat. Oleof.

Purgant. Sennerti ana unc. f.

M.

S. Capiat Gutt. xxv. quater de die ex Vino.

* * *

Liquor Antipodagricus.

Vide Ibid. p. 212.

R. Alcabest Glauber. unc. j.

D. ad Vitrum.

S. Sumat omni mane Gutt. ix. ex Jurevitulino.

* * *

Tinctura Anti-Hysterica, Sopiens.

R. Tinct. Succin. drach. ij.

Castor.

Spir. Sal. Ammoniac. ana drach. j.

DE MIXTURA CONTRACTA. 201

*Ol. Corn. Cerv. rectificatiss. drach. 3.
M.*

*S. Sumat Guttas xxx. ex Syrup. Kermes in
paroxysmo.*

* * *
*Mixtura Stimulans, Roborans, Anti-Hy-
dropica.*

Vide H. Børh. Mat. Med. p. 204.

*R. Tinct. Rad. Helen. unc. j.
Myrrh.*

Spirit. Matrical. ana unc. 3.

Ol. Stillat. Baccar. Juniper.

Absinth. ana gutt. viij.

M.

*S. Capiat Cochlear. 3. quater de die, vacuo
Stomacho, ex Vino generoso.*

DE MEDICAMENTORUM EXTER- NORUM FORMULIS.

294. EXTERNÆ FORMULÆ (105.) sunt
vel *Communes* pluribus corporis
partibus, vel *Propriæ* tantum parti singula-
ri. Hoc ordine reliquum hujus Historiæ
exponam, de *Communibus* primum dicturus.

DE FORMULIS EXTERNIS COM- MUNIBUS.

De Injectione.

295. INJECTIO, *Enema*, est Liquor Medi-
catus, qui in cava corporis, secun-
dus

dum vel præter naturam foras patentia, plerumque Siphonis ope, ad varios usus, infunditur.

296. Aures, Nares, Oculi, Os, Anus, Vesica, Penis, Uterus, Vagina, Vulnera, Abscessus, Sinus, Fistulæ, Cava (295.) exhibent, quibus Injectiones destinantur. De iis interim, quæ Ori & Ano dicata sunt, Gargarismate puta & Clysmate proprie dicto, postea sigillatim agendum suader ordo receptus (294.), & frequentior utriusque usus.

297. Huc & retuleris *Chirurgiam Infusoriam*, seculo superiore tot moliminibus exercitam; quæ tamen, dum hodie exolevit, nos porro non morabitur.

298. MATERIEM Liquoris (295.) præbent Infusa (211.), Decocta (224.), Suc ci (235.), Emulsa (246.), Mixturæ Mediæ (272.), vel Contractæ (283.). Unde, quidquid huc pertinet, ex (l.c.) facile intelligitur.

299. DELECTUM heic sola dictat Indicatio & cognita Materiæ Virtus Medicata; quum Coloris, Saporis, Odoris, nulla habetur ratio. Hinc

α. Quæ Internis crebro admiscentur, Corrigentia (83. 85.) locum non habent.

β. Contra adhibentur & ea, quæ vel ob Injunctitudinem, vel ob Qualitatem Noxiam, raro aut nunquam interno usui serviunt;

uti Olea Infusa, Cocta, Unguenta, Urina, Hyoscyamus, Mercurialia acerrima, &c.

γ. At summa tamen opus circumspetione, ne injecta violentiora noceant: vasa enim bibula ubique hiantia proprius in Sanguinem vehunt: quin & Nervi, Tendines, Ossa, nudius saepe posita idem vel maximè postulant.

δ. Consistentia uti paullo spissior heic fertur, ita fluida tamen & æquabilis sit oportet; tum ut Siphunculum (295.), si quo opus, minus obstruat Liquor; tum ne intermixta solida, scabritie sua, incommoden. Tenera igitur vel tenuissimè lævigata requiruntur Sicca, quæ solvi nequeunt. Est & Saponi locus, ubi Oleosa Aqueis misceri debent (274. ζ.).

ε. Quandoque & Unguinosis utimur, quæ frigore plus minusve solidescunt. Hæc tamen non, nisi apto prius Menstruo, aut calore, liquefacta, injiciuntur.

ζοο. ORDO idem heic observatur, quem variæ Liquoris (298.) naturæ proprium loc. ibid. cit. indicavimus.

ζοι. DOSIS, vix in genere determinanda, pro varia & Cavi (296.) magnitudine, & Liquoris injiciendi efficacia, plurimum discrepat. Alias una vel altera guttula sufficit: neque tum adeo Siphone opus: quod circa Aures usu venit. Alias drach. j. unc.

§. j. ij. iv. & plures simul injiciuntur. Sæpiissime exundatio Cavi terminum ponit.

302. QUANTITAS GENERALIS, æque parum definita, ex Dosis (301.) mole, & injectione tardius, citius, repetenda, brevius, diutius, continuanda, facile colligitur.

303. PROPORTIONEM Ingredientium mutuam docent, quæ de hac dicta sunt in Historiis Liquorum heic usitatorum (298.), comparata cum Delectus regulis (299.). Addo saltem, Doses internas Efficaciorum ad triplum, quadruplum, & ultra, sæpe heic augeri. Cave tamen, ne quid nimis (299. γ.).

304. SUBSCRIPTIO est, qualis Formulæ, quæ huc adhibetur (298.). Ex ejus ergo Historia intelligitur. Aliquando tamen additur. *F. Liquor pro Injectione.* Injæctio ipsa quum rarius, nec nisi Clysmatum Intestinalium, Pharmacopœo committatur perficienda, hujus non est loci.

305. SIGNATURA, præter Titulum Formulæ (60. γ. 295. 304.), explicat & illa, quæ ad ejus pertinent Applicationem; quum hæc plerumque vel Aegro ipsi, vel Adstantibus, vel & Chirурgo, demandetur. Unde injungitur

α. Frigidus, tepidus, an calentior sit injiciendus Liquor. Frigus, plerumque infestum corpori, rarissimè heic usu venit,

quibusdam tamen, ubi repellendum, adstringendum, roborandum, placet. Tempor, naturali hominis sani similis, omni parti amicissimus, ubique ferè conducebit. Calor intensior haud minus, ac Frigus, urendo saepe nocet.

β. Injectio fit vel solo Stillicidio, cum cavitas satis aperta, pronus defluxus, & parva simul injiciendi quantitas (301.) est, nec ad hujus actionem excitandam motus validior requiritur. Vel Instrumento appropriato, si contraria modo dictis obtinent. Siphones variæ magnitudinis & materiei, emissariis variè tenuibus & figuratis instructi, pro Cavi & Liquoris injiciendi diversitate, heic ex usu sunt. Vaginæ & Utero *Metrenchites* servit. Injectio in Vesicam Cathetere tabulato juvatur.

γ. Situs Aegri admittendo Liquori commodus sub Injectione commendatur; qui etiam vel aliquamdiu servatus, vel aptè mutatus post Injectionem, Liquori diutius detinendo conducebit.

δ. Sunt & alia post Injectionem observanda, cum vel in Cavo relinquitur Injectum, vel sua functum actione citius, tardius, iterum ejicitur. Obthuratio oris Cavi, quies, agitatio apta Liquidi Cavo contenti, &c. hic pertinent.

ε. Monendum heic denique, quantum simul, quo tempore, quoties, quousque,

&c. injiciendum: quæ omnia facile suo ex scopo limitat Medicus.

305. Cave tamen in his maximè, ne Decori vel Secreti regulam (60. §.) excedas.

306. Usus Injectionum multifarius est, præprimis Chirurgicus, ætati nulli inimicus, Abstergendi, Diluendi, Eluendi, Mundandi, Emolliendi, Resolvendi, Demulcendi, Adstringendi, Aperiendi, Consolidandi, &c; scopis adcommodatus.

307. SPECIMINA funto.

* * *

Clystina Auriculare, Ulceri intra Meatum Auditorium abstergendo, mundando, aptum.

Rx. Urinæ Homin. san. unc. iv.

Sapon. Venet. scrup. j.

Tinct. Myrrh. gutt. xl.

Mell. Rosar. drach. vj.

M.

S. Hujus Liquoris tepidi, quantum Cavo capi potest, quotidie bis injiciatur in Aurem ægram supinatam, ac detineatur per aliquot minuta, dein Aure prona rursus emittatur.

* * *

Aliud Auri Sordibus induratis obstructæ conveniens.

Rx. Ol. Amygdal. Dulc. drach. ij.

Amaror. drach. j.

Fell. Lucii Piscis. drach. 5.

Exakte M. D. ad Vitrum,

S. Guttæ vj. ter de die instillentur *Auri supinatæ*, detineantur *Gossypio immisso*. Idem & Ant-helminticum est.

* * *

Injectio ad Cruorem coagulatum, extravasatum, diluendum.

Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 75.

R. Mell. commun. unc. ij.

Sapon. Venet. drach. ij.

Sal. Marin. unc. 3.

Aq. Pluviae. unc. xij.

M.

S. Hujus reperfacti q. s. injiciatur Cavo Cruorem continent, leniterque conquassatum dein una cum Cruore diluto rursus evacuetur.

* * *

Emulsum Digestivum ad Fistulas curandas,

Ibid. p. 93.

R. Terebinth. nativ. unc. ij.

Vitell. Ovor. unc. j.

f. a. subactis admisce

Mellis commun. unc. ij.

Spir. Vini commun. unc. 3.

Aq. commun. unc. ix.

D.

S. Calefactum & probe mistum injice.

* * *

Decoctum Balsamicum, Consolidans Fistulam puram.

Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 94.

R. *Ol. infus. Hyperic. unc. iv.*

Aloës.

Myrrhæ.

Olibani. ana drach. iiij.

Coquendo leniter, mista, subige cum
Vitell. Ovor. unc. iij.

D.

S. *Calefactum parum in Fistulam injice.*

Injectio Detergens, ad Urethram Ulcere
Venereo erosam.

Ibid. p. 245.

R. *Mell. Rosar. unc. j.*

Aloës puriss. gr. x.

Sal. Ammon. gr. iv.

Aq. stillat. Fænicul. unc. vij.

M.

S. *Liquor Mundans, cuius q. s. ter, quater,*
de die, in Virgam, sanie prius expressa va-
cuum, & ponè locum ulceratum constrictam,
ope Siphunculi injiciatur.

De Adspergine.

308. **A**DSPERGO est Pulvis (106.), qui
superficiei corporis externæ, va-
rios ad usus, inspergendo adplicatur. *Pas-*
ma, Catapasma, Diapasma, Empasma,
Sympasma, veteribus audit.

309. Tenuitatis heic vix nisi primus &
medius gradus (107. a. γ.) usu venit;
quum moleculæ crassiores nec facile adhæ-
rescant,

refcant, nec, ob minorem superficiem, adeo diffundantur.

310. MATERIEM, hujusque DELECTUM ac ORDINEM, facile intelligit, qui confert dicta (109. 110.) cum sua indicatione. Neque enim differentia heic datur ulla, nisi, quod saporis, odoris, coloris, specificæ gravitatis nulla habita ratione, elegantur saltem scopo accommodata. Unde & huc recipiuntur frequentius, quorum nullus vel rarus usus internus (299. l.).

311. DOSIS nulla certa, nec pondere unquam determinata; utpote quam sola fere loci conspergendi amplitudo limitat. Hinc nec divisio in Doses heic, uti (113. 118.), obtinet.

312. QUANTITAS GENERALIS similibus, ac (301.), conditionibus definitur.

313. PROPORTIO mutua Ingredientium ex sola singulorum virtute cognita, & Medicis scopo, terminatur.

314. SUBSCRIPTIO est. *F. vel M. F. Pulvis.* Addi potest *Tenuissimus*, si requiritur. Scatula *Receptaculum* præbet. Alias & Sindoni raræ includendus jubetur.

315. SIGNATURA utendi modum exponit, qui plerumque solo inspersu absolviatur. Si Nodus est (314.), inde super partem excutitur Pulvis. Si vero superficie declivitas Adspergini retinendæ minus apta est, hæc super panno lineo, laneo,

aut papyro, distributa parti ad�licatur, firmatur. Rarius calefacto prius utimur Pasmate. Quandoque autem & ante & post inspersio[n]em agenda injunguntur: uti dum locus prius detergendus, fricandus, inungendus, aut post deligandus &c. Sed h[oc] sua quemque docet Indicatio.

316. Usus Adsperginum multiplex, Chirurgis praecipue frequens, conduceit ad Exsiccandum, Dissipandum, Adstringendum, Depurandum, Acre cotrigendum, Exedendum, Consolidandum, &c. Vulnera hinc; Ulcera; Hæmorrhagiæ; Ossa, Tendines, Nervi, laesi aut nudati; Catarrhi; Erysipelas; Cutis vitia, &c. eas saepè postulant. Quin &, qui fragrantiae aut ornatus gratia corpori inspurguntur, Pulveres, Cyprii dicti, huc pertinent.

317. SPECIMINA sunt.

Pulvis Mundans, ad Bubonem Venerum, apertum.

Vid. H. Bœrh. Mat. Med. p. 249.

R. *Pulv. Fol. siccator. Scordii. unc. ij.*

Vitriol. alb. drach. ij.

Aloës. drach. j.

M. F. Pulvis.

S. *Aperto Ulceri, deterso prius, inspurgatur ad depurandum.*

Pulvis ad Erysipelas.

Rx. *Pulv. Erysipelatod. Mynsich.*

Flor. Sambuc. siccator. ana unc. iiij.

Smalti. unc. ij.

Camphoræ. drach. i β.

Tenuiter trita M.

S. *Hujus calefacti prius q. s. loco affecto inspergatur, aut super charta cœrulea distributum parti adplicetur & fasciâ leniter circumvolutâ firmetur.*

* * *
Pulvis Balsamicus, Ossibus, Tendinibus, Nervis, nudatis conveniens.

Rx. *Myrrhæ. drach. β.*

Olibani.

Masticæ. ana drach. j.

Sarcocoll. drach. ij.

Colophoniæ. unc. β.

M. F. Pulvis tenuis.

S. *Eo conspergantur partes affectæ, sub quilibet deligatione.*

* * *
Pulvis adstringens, ad sistendam Hæmorrhagiam Vulneris externi.

Vid. H. Bœrh. Mat. Med. p. 104.

Rx. *Sang. Draconis. drach. j.*

Sarcocoll. drach. ij.

Lapid. Hæmatit. drach. β.

Bol. Armen. unc. j.

M. F. Pulvis tenuissimus.

S. *Hujus q. s. inspergatur Vasi vulnerato, &*

*stupis Alcoble calido madidis, vesicaque
vel fascia circumposita, firmetur.*

* * *

Diapasma Acrimoniam obtundens, ad
Intertriginem.

R. *Amyli. unc. ij.*

Cretæ alb.

Cerussæ. ana unc. 8.

Pulv. Rad. Irid. Florent. drach. j.

M. F. *Pulvis subtilissimus.*

S. *Inclusus Sindoni varæ excutiatur super
parte excoriata, prius deterfa.*

De Epithemate.

318. **E**PITHEMA est Medicamentum exter-
num, variæ consistentiæ, non Un-
guinosum, nec Emplasticum, quod super-
ficies corporis externæ, scopo vario, im-
ponitur. *Fomentum* id, vel *Fotus*, dicitur,
si calidum admovetur.

319. Triplex ejus (318.) datur Consi-
stentia: ($\alpha.$) *Liquida*: ($\beta.$) *Sicca* vel *Solida*:
($\gamma.$) *Mollis*, pulmentaris. Priora duo no-
men generale (318.) retinent; Posterius
Cataplasma, *Puls*, *Malagma*, vocatur. Di-
stinctionis gratia de singulis seorsim.

De Epithemate Liquido.

320. **E**PITHEMA, *Fotus*, *Fomentum*, *Li-
quidum* est Liquor Medicatus,

simplex vel compositus, qui, frigidus aut calidus parti corporis externæ, Vehiculi apti interventu, admotus, hanc aut profundius sub hac sitas partes ita mutare vallet, ut Medici scopus postulat.

321. MATERIEM Liquoris (320.) dant Aqua, Lac, Vinum, Acetum, Spiritus Vini, Succi liquidi, Oleum, Utina, &c. simplicia, aut variis modis præparata, & inter se atque cum aliis cujuscunque consitentiæ composita, Officinalia, Magistralia: ut Aquæ stillatitiae omnis generis; Aceta, Olea infusa, cocta; Spiritus Aromatici, Tincturæ, Essentiæ; Liquores salini; Lixivia; Aqua Fabrorum, Calcis &c. præcipue ex his & aliis idoneis parata Infusa (211.), Decocta (224.), Succi Expressi (235.), Emulsa (246.), Mixturæ mediæ (272.), Contraetæ (283.).

322. DELECTUN limitat Indicatio Medici, Partis mutandæ, vel cui adplicatio facienda, conditiones sanæ vel morbosæ, & natura Liquoris adhibendi cognita. Nota ergo

α . In genere similia heic obtinere illis, quæ dicta sunt circa Delectum Internorum (213. 226. 237. 248. 274. 285.).

β . Haud tamen Saporem, Odorem, Colorem, curari; hinc omitti, quæ his corrigendis ad interna adhibentur, Sacchara, Syrupos, &c.

γ. Nec paulo spissior Consistentia adeo heic obest: licet interim, ubi major penetrabilitas requiritur, Spissitudo minor, cæteris paribus, præferatur.

δ. Haud semper solam hoc Remedio intendi partis, cui id proximè admovetur, mutationem, sed & quandoque Viscerum profundius sub illa sitorum (320.).

ε. Hinc convenire magis ejusmodi, quorum virtus in principiis hæret volatilibus, tenuibus, facile penetrare aptis; præsertim ubi in interiora agendum est. Quare Terra, Lapidea, Adstringentia, Incrassantia, & similia, tum vix boni quid efficere videntur; quum vel ob crassitatem suam absorberi nequeant, vel ostiola claudendo sibi ipsis ingressum obserent. Leni tamen adstringioni si Aroma aut Spiritum junxeris penetrabiliorem, plus forte præstabitis.

ζ. Vide etiam, quæ natura sit partis, cui Liquor proximè adplicandus est; an Oleum, Aquam, Spiritum, Acre, ferat illæsa; ne alteri dum prodes, alteri noceas.

η. Cæterum &, quæ interno usui raro aut nunquam serviunt, huc recipiuntur v.g. Mercurialia acerrima, Saturnina, Alcohol Vini solum, Hyoscyam. Mandragor. Solan. Cicutæ, &c.

θ. Memento tamen in usu Draſticorum, superficiem corporis omnem bibulam esse,

& absorpta per hanc viam infundi Sanguini, insalutato Ventriculi Janitore.

323. ORDO haud differt ab eo, quem in similibus Formulis interno usui dicatis (321.) commendavi ante.

324. DOSIS nec Pondere unquam, nec Mensura alias consueta, heic determinatur. Limites figit varia Partis fovendæ amplitudo, tum corporis, quo interveniente adplicatur Liquor, major minorve bibacitas. Panni lanei præ lineis, duplicati, triplicati præ simplicibus, &c. plus liquidi imbibunt.

325. QUANTITAS GENERALIS ut raro Lib. ß. minor est, ita sæpiissimè Lib. j. ij. iij. & plures æquat; prout vel una major minorve, vel plures Partes simul foveri debent; vel Vehiculum magis minusve bibulum est (324.); vel Fötus diutius, brevius, continuatus, minoribus aut majoribus intervallis renovatus, exigitur; vel ipse Liquor magis minusve corruptioni obnoxius, facilius aut difficilius parabilis est, &c. Satius ferè est, excessu heic, quam defectu, peccare, maximè si plures aut majores partes fovendæ sunt; ne Liquor justò citius, aut & sub prima adplicatione deficiat.

326. PROPORTIO Ingredientium mutua patet ex dictis (217.230.241.254.278.289.), collatis cum (303.322.). Limitat hanc sola Medici Indicatio & Virtus materiæ cognita. Usus autem externus Interno minus arctos

habet terminos. Memento saltem (322. θ.) tum consistentiæ; ne spissitate nimia minus penetrabilis sit.

327. SUBSCRIPTIONIS eadem leges sunt, quales similium Liquorum Internorum (218. ad 220. 231. 242. 255. 279. 290.), Nomina si exceperis internum usum indicantia, quibus heic substitui potest: *F. Liquor pro Epithemate vel Fomento.* Alias tamen & a Parte, cui applicatur, nomen accipit; uti postea sub Externis Propriis (294.) patebit: alias ab Ingredientibus: unde *Oxyrhodini* adpellatio. Cæterum & heic quandoque Materies infundenda vel decoquenda saltem petitur a Pharmacopœo, reliquum opus Æger ipse sive Adstantes perficiunt, uti (218. 220. 231.). *Specierum* tunc aut *Collectionis* Nomine etiam utimur. Tandem nec Depuratione exactissima (219. δ. 231. γ. 242. γ.) heic adeo opus

328. SIGNATURA, præter Nomen (60. γ. 320. 327.), indicat

α. *Præparationem*, si hæc Pharmacopœo non committitur (327.). Conf. (221. β.).

β. *Partes fovendas.* Hæ, juxta (320. 322. δ.), sunt vel (ι.) *Externæ*, quibus proximè admove ri potest Liquor. Circa has, ut potest manifestas, id solum noto, quod, si Vulnere aut Ulcere patulæ fuerint, quandoque prius materie apta tegi debeant, ne cruda loca tangat Liquor, hisque adgluti-

netur arescendo, aut alio modo incommodet. Vel (2.) *Internæ*. His Fotu mutandis idonea feligitur regio externa, pro situ Partis & Medici scopo varia. Quocirca situs & consensus partium, tum cursus vasorum, cognitus maximè conductit. Est, ubi Fotus ipsam in partem proximè agere debet, hanc v. g. roborando, emolliendo, humectando, refrigerando, ei impactum resolvendo, dissipando, &c. Regio externa, cui illa proprius, interpositis mollissimis & minime crassis integumentis, subjacet, aptum tunc Epithemati locum præbet. Est, ubi revellere aut derivare a parte scopus postulat: tum vel inferiori vel superiori regioni adplicatio fit: prout & pars ipsa sita est, & cum hac ilave parte externa magis minusve consentit. Alias & in universam Sanguinis massam conamur agere: cui scopo eliguntur loca externa, sub quibus majora & nudiora vasa decurrent; uti Tempora, Collum, Axillæ, Carpi, Inguina, Poplites, &c.

γ. *Vehiculum* (320.). Èò plurima adhibentur: Panni linei, lanei, varii coloris, rubri præprimis, Textum Sericum, Stupæ, Panis tostus, hujus Mica, Spongia, Epithema siccum vel Sacculus, de quo postea. Alias & Vesicæ suillæ duplo capaciori includitur Liquor. Selectum dictat scopi & partis fovendæ diversitas, tum promptior unius præ alio parabilitas. Si plu-

rimum Liquidi adplicandum, hujusque calor diutius conservandus est, Panni lanei, Spongia, Stupæ, magis ex usu sunt. Vesica dissipationem Liquoris præpedit, caloremque conservat, nec inquinat: sed & nonnisi subtiliores particulas, & lente quidem, transmittit. Scitur hinc, ubi conveniat. Si regio fovenda teneriore est, & Epithema non calefactum admovetur, aut conservandi caloris non magna urget necessitas, Linteaminibus uti licet, iisque duplicatis, triplicatis, &c. si multo Liquore adplicato opus est.

d. Calidus an Frigidus admovendus sit Liquor; Intentio Medici, Partis & Materiæ natura, hoc docent. Ubi validissimè resolvendum, penetrandum, adtrahendum, calor summi usus est. Nocet is gelu constrictis, repulsu, &c. Spirituosa, Volatilia, rectius frigida vel saltem tepida adhibentur, nisi alia repugnant. Vehiculi (*y.*) etiam calefactione antequam id Liquido imbatur, hujus frigus pensare licet.

e. Quomodo Applicatus Continendus. Huc facit Ligatura. Si vero longior humoris & caloris conservatio requiritur, Vesica suilla, Oleo prius madefacta, super Fotu extensa, & firmata, conductit. Quin & huic Sacculum Arena calida plenum, Operculum sigulinum, aliudve corpus calefactum, nec cito frigescens, superimponere

juvat, quod dein, nata refrigeratione, removeri, iterumque calefactum adponi potest, Fotu ipso interim super parte retento.

ζ. Quousque *Relinquendus*, *Continuandus*, an & quando *Renovandus*, &c. Multa heic datur varietas. Alias ex Symptomatis mitigandi cessatione terminus figitur; ubi v. g. dolor, vigiliæ, frigus, calor, anxietas, vomitus, hæmorrhagia, virium collapsus, delirium, &c. remiserunt. Alias ex vi Liquoris dissipata; dum v. g. refixit, vel Vehiculum (γ.) exaruit, &c. Alias tempora præscribuntur; ut v. g. mane, vesperi, quotidie semel, bis, singulis 2. 3. &c. horis, & sic porro. Quæ omnia in casibus specialibus facile limitaverit considerans suam intentionem, morbi vel symptomatis indolem, Liquoris naturam volatilem, fixiorem, &c. Vehiculi materiem, apparatus facilem vel difficilem, & similia.

329. Usus Epithematum valde universalis, Acutis, Chronicis, Externis, Internis, malis levandis peraptus, virtute varia emolliendi, adstringendi, roborandi, repellendi, adtrahendi, calefaciendi, refrigerandi, diluendi, resolvendi, discutiendi, sopiendi, excitandi, Acre corrigendi, demulcendi, &c. solidis fluidisque operem fert: quin & quibuscumque fere Evacuationibus aut efficiendis aut promovendis conducit. Ætati simul omni conveniens; mo-

do & matieres arte feligatur, & tempestiva fiat applicatio. Pulchrè quandoque Remediī interni vices supplant Externa isthæc in Infantibus, aliisve, qui ore capienda horrēnt aut deglutire nequeunt. Applicatio tamen & renovatio aliis iterum molestior est, quam usus Internorum. Nocent & aliquando ineptè adhibita; dum, causa morbi non sublata, symptomata tolluntur quod maximè circa Stupefacentia obtinetur aut dum Repellentia, materie morbi haud satis mobili, vasa constringendo illam magis compingunt; aut, quæ calida requirebantur, sub longiore applicatione nimis frigescunt, &c. Hæc tamen, perverso saltem usui tribuenda, artis peritus facile evitat.

330. SPECIMINA sunt.

* * *

Epithema Aromaticum, promovens Samburrae intestinalis excretionem in Infante recens nato.

Vid. H. Bærh. Mat. Med. p. 223.

Rx. *Vitell. Ovi. N. j.*

Spirit. Matrical.

Tinct. Absynth.

Aq. stillat. Fænicul. ana drach. ij.

M.

S. Excepta pauxillo micæ Panis Stomacho applicentur.

* * *
Aliud, ad Nauseam ab inordinato Li-
quidi Nervosi motu ortam.

Vide H. Bœrh. Mat. Med. p. 129.

Rx. *Aq. Vitæ Matthioli.* unc. j.

Spir. Rad. Angelic.

Carmin. Sylv.

Menthæ. ana unc. ij.

M. D.

S. *Taleola Panis triticei tosti, bene irrorata
bis adplicetur calidè Epigastrio, super-
adplicetur Vesica suilla oleo humectata,
et dein supra hanc ligatura: renovetur
post xij. horas.*

* * *
*Emulsum externum, Anodynum, De-
mulcens, leniter Aperiens.*

Ibid. p. 113.

Rx. *Semin. Pomor. Cotoneor. No. vj.*

Cum *Aq. stillat. Flor. Rosar.*

Sambuc. ana unc. ij.

F. s. a. *Emulsio, cuius puro liquori
admisce*

Spir. Vini rectificat. unc. 8.

Tinct. Opii. drach. j.

D. ad Vitrum.

S. *Parti a Caustico aliove acri foris adplica-
to læsæ et dolenti cum panno lineo tripli-
cato admoveatur calidè: renovetur, ubi
siccescit.*

Fomentum Laxans, Resolvens, Paregoricum, ad Pleuritidem.

Vid. H. Børh. Mat. Med. p. 149.

R. *Fol. Malvæ.*

Bismalvæ.

Parietar. ana m. ij.

Papaver. hortens.

Hyoscyam. ana m. j.

Flor. Sambuc.

Chamæmel.

Melilot. ana unc. iij.

Cum *Laet.* dulc. q. f. F. Decoctum pro Fomento.

S. *Vesica suilla* hoc *Liquore calidissimo* ad dimidas repleta admoveatur lateri dolenti; firmetur ligamine: tum superponatur *Sacculus arena calidissima plenus*, qui frigescens iterum calefiat, aut ei mox substitutatur aliis jam calefactus. Continuentur hæc, donec dolor remisit.

* * *

Fotus Antisepticus, calorem vitalem resuscitans, Intestino per Vulnus Abdominis egresso conveniens.

Vid. H. Børh. Mat. Med. p. 79.

R. *Intestina pura Animalis junioris* q. f.

Coq. in *Aq.* q. f. spatio 1/8. horæ; dein adde

Flor. Chamæmel.

Lavendul.

Centaur. ana m. β.

Fol. Menth. m. j.

Stent in Infusione per 156. horæ.

D.

S. *Liquor calidus cum panno laneo adplicetur.*

* * *

Epithema Anti-Alcalicum, Cardiacum, in
Gangræna: ad Exemplum Ibid. p. 96.

Rx. *Herb. Scordii*

Menthæ

Summit. Rutæ

Fol. Rosmarin. ana m. f.

Cort. Cinnamon.

Nucl. Myristic. ana drach. ij.

Conscissa, tusa, cum Acet. Rosac. &

Vini Rhenan. ana unc. viij. coquan-
tur in Phiala alta, vitrea, per 158.
horæ. Liquori decantato adde

Aq. Prophylact. Sylv. unc. ij.

M.

S. *Hoc Liquore imbutæ Spongiolæ admovean-*
tur Parotidibus, Axillis, Scrobiculo Cor-
dis, Carpis, Inguinibus. Taleola Panis
tosti eodem imbuta Naribus supponatur.
Renoventur quolibet triborio.

De Epithemate Sicco.

331. *EPITHEMA, FOTUS, FOMENTUM, SIC-*
CUM est Pulvis Medicatus (106.),
qui, consuto plerumque panno inclusus,
externæ corporis superficie, vario tam in-
ternas quam externas partes mutandi scopo,

adponitur. *Sacculus*, *Saccus*, *Cucufa*, *Cucullus*, *Frontale*, *Scutum*, *Lectulus*, *Pulvinar*, &c. audit, prout aliis atque aliis partibus aut usibus infervit.

332. Crassior heic, aut mediocriter tenuis tantum Pulvis (107. β . γ .) ferè usitatus est; quia particularum ejus adhæsio, vel de continente panno excussio, haud intenditur.

333. MATERIES in genere eadem est, quæ (109. 110.), si & similia externo usui apta accensueris.

334. DELECTUM docent (111. 310. 322.) comparata ad (331. 332.). Paucis nota

α . Vegetantium partes sicciores, Radic. Cortic. Fol. Flor. Semina, Baccas, Aromata, Succos duros, tum ex his compositas Species Officinales, &c. maximè huç adhiberi.

β . Penetrabilitatem (322. ε) heic vel magis etiam requiri ob consistentiam & usûs rationem (331. 332.).

γ . Superaddi sæpe Epithemata Liquida (320.), tum ut horum ope Materies sicca fiat actuosior, tum ut hæc illis sit pro Vehiculo (328. γ).

δ . Ad Lectulos & Pulvinaria paranda Paleam misceri Pulveri Medicato, quæ hunc diffundat. Idem in Cucuphis aut similibus Sacculis, qui simul moliores requiruntur, nec multum madefaciendi sunt, quandoque præstat,

præstat Gossypium, aut Lana anima-
lis.

ε. Sacculi Arena repleti huc quoque per-
tinent, vel soli, vel cum Epithemate Liqui-
do usitati (328. *ε.*), ubi calor siccus vel hu-
midus diu conservatus requiritur.

335. ORDO idem, qui (112.), obtinet.

336. DOS IN limitat Sacci implendi (331.)
capacitas, hancque superficiei fovendæ am-
plitudo. Unde diversissima est. Crinita
Capitis pars, Ventriculus, Hepar, ferè
unc. ij. iij. iv. postulant: Cor, Lien, Ren,
unc. j. i. ij: reliquæ partes pro ratione suæ
magnitudinis. Lectuli, Pulvinaria, qui-
bus incumbendum, plures Libras exigunt.
Scito autem

α. Variam & Aetatem, & morbosam
partis extensionem, multum heic discrimi-
nis parere.

β. Non infarciri, sed laxè saltem repleri
Sacculos; ut sat sequaces & molliculi sint.

337. QUANTITAS GENERALIS defini-
tur ex Dosis mole (336.) & Sacculorum pa-
randorum numero. Plures enim sæpe unâ
præstituuntur, ut vel diversis partibus si-
mul, vel uni alternatim, adhiberi queant.

338. PROPORTIONEM mutuam Ingre-
dientium conditiones similes (313.) ter-
minant.

339. SUBSCRIPTIO mandat

α. Pulveris Præparationem, quæ fit con-

scissione, fusione plerumque, ut vocant, *grosso modo* facta (332.), mistione. Ali quando Ingredientium quædam, aut omnia, in Sartagine torrenda jubentur; ut vel augeatur vel mutetur virtus: quod tamen in volatilioribus nocet. Alias & ante, quam immittantur Sacculo, Species Liquidis efficacibus, Spiritu, Oleo, Tincturis Aromaticis, &c. consperguntur.

B. Sacculi Confectionem. Ubi occurrit (1.) Pannus adhibendus, qui plerumque est Lineus tenerior, rudior, Sindon, aut Sericus, raro Laneus. Partis fovendæ constitutio, Pulveris quantitas, qualitas, major minorve vis, quam Sacculus sub applicatione pati debet, Pretium Panni, Opinio Aegri, &c. electionem figunt. (2.) Figura, quæ parti fovendæ & usci adcommodatur. Capiti crinito cucullaris, Fronti quadrata oblonga, Cordi pyramidalis, Ventriculo scutiformis, Hepati lunata, Lieni Linguae bubulæ æmula, Umbilico rotunda, &c. ferè tribuitur. Lectuli, Pælinaria, magnitudine saltem aptanda, forma usitatam servant. Quandoque & pollicari mensura longitudo & latitudo exprimitur parti contingendæ respondens. Alias tamen, partis fovendæ tantum facta mentione, reliquum Pharmacopœi peritiæ relinquitur. (3.) Numerus etiam, ubi plures simul conficiendi sunt (337.), memoratur.

γ. *Eiusdem Repletionem.* Hanc, ubi opus est, præcedit Pulveris cum Palea permixtio, aut cum Gossypio vel Lana exceptio (334. d.). Inclusio ipsa futurâ plerumque perficitur. Aliquando tamen & simplex illigatio aut complicatio sufficit, ubi vel Figura (β. 2.) exacta, vel applicatio diuturna, non exigitur. Denique & intersuntur Sacculi majores, quod barbarè *interpassare* vocant; ne Pulvis inclusus conglomeretur, aut versus unum locum inæqualiter coacervetur.

δ. Hæc tenus tamen (β. γ.) dicta sæpiissime Aeger hujusve Adstantes curant, Pharmacopæo saltem Pulverem (α.) exhibente. Subscribitur tunc modo. *F. Species pro Cucufa, Sacculo, Lectulo, &c.*

340. SIGNATURA, post Nomen (331. 339. d.), exponit

α. *Specierum Inclusionem*, si has solutas modo tradit Pharmacopœus (339. d.). Hæc vero similis tunc est (ibid. β. γ.).

β. Quæ ad *Adapplicationem* pertinent. Adhibentur autem Epithemata isthæc vel (1.) sola, sicca, ut plurimum prius calefacta. Vel (2.) vi medicatâ aliorum ante imbuta, ut actuosiora fiant. Quare crebro prius Epithemate Liquido (320. 328. γ.) humectantur, macerantur, consperguntur, aut & cum eo decoquuntur: alias quoque Decociti idonei vapore, aut Suffitūs accensi fu-

mo, imbuuntur. Vel (3.) Epithemati Liquidu-
m adplicato superadduntur, hujus nec
calorem conservent, vim augeant. (328. γ.
ε. 334. ε.). Reliqua repetantur ex dictiss
(328.); utpote quorum plurima & heic lo-
cum habent.

341. Usus idem est, qui (329.). Mi-
nor saltem plerumque Sicci Epithematis est
penetrabilitas, actio lentior, nisi Liquidum
accedat (340. β.). Est tamen, ubi siccuss
calor magis prodest, facilius fertur. Per-
tinent huc quoque Epithemata ex Catelliss
vivis, Columbis, Pullis Gallinaceis, &c.
dissectis, Omento, aliisve Animantium
partibus etiamnum vitali calore præditis;
Pane adhuc a furno calente, & similibus,
vel solis, vel aliorum accessu magis adpro-
priatis, parari solita, quæ facile ex hac Hi-
storia intelliguntur.

342. SPECIMINA funto.

* * *
Cucufa Confortans, Capiti debili, frigi-
do, Catarrhis obnoxio, proficua.

Rx. Rad. Angelicæ. unc. j.

Herb. Majoran.

Salvie.

Folior. & Flor. Rosmarin.

Summit. Serpill. ana m. β.

Semin. Nigell. Rom. drach. iiij.

Caryophill. arom.

Mastiches.

Styrac. calamit. ana drach. j.

Conscissa, tusa, mista, D. ad Chartam.

S. *Species pro Cucufa, quæ Gossypio exceptæ includantur duplicaturæ Cuculli, & punctim intersuantur. Cucullo, mane & vesperi fumo Lign. Juniper. accensi imbuto, semper tegatur Caput.*

* * *

Scutum Stomachicum, ad Nauseam a motu Liquidi Nervosi inordinato ortam.

Vid. H. Bœrh. Mat. Med. p. 129.

R. *Pulv. Aromat. Rosæ.*

Diagalang.

Diarrhod. Abb. ana unc. j.

M.

S. *Insuta Sindoni applica Epigastrio.*

* * *

Epithema ad Dolores Colicos a causa frigida, flatulenta, natos.

R. *Semin. contus. Anisi.*

Cumini ana unc. j.

Piperis drach. iij.

Nuc. Myristic. drach. ij.

Caryophyllor. arom.

Maceris. ana drach. i.

Conscissa, tusa, mista, D. ad Chartam.

S. *Species Calefacientes, quæ Panis adhuc a furno calentis, transversim dissecti, superficie internæ, micaceæ, inspergantur, tum Spiritu Vini irroratæ, Sindone superexten-*

sā continantur, & Epigastrio vel regioni dolenti adplicantur: post tres quasque horas Sindon Spiritu Vini iterum humectetur.

Lectulus & Pulvinaria roborantia, Antirachitica.

Vid. H. Bœrh. Mat. Med. p. 255.

R. Folior. recent. in umbra siccator.

Filicis maris. Lib. iij.

Majoranæ.

Melissæ.

Menthæ. ana m. ij.

Flor. recent. in umbra siccator.

Meliloti.

Trifolii odorati.

Sambuci.

Rosarum. ana unc. ij.

Tritis in Pulverem tenuem, & mistis,

F. Species pro Lectulo & Pulvinariis.

S. Species Roborantes, quibus cum duplo tanto Paleæ Hordei mistis; ac dein linteo immisis, fiant Lectulus & Pulvinaria, quibus incumbat Aeger. Defendantur autem ab humido, & saepe exsiccentur.

Epithema Siccum ad Hydrocelen, serum dissipans, educens.

Vid. H. Bœrh. Mat. Med. p. 211.

R. Sal. marin. decrepit. siccissimi, calidi, tenuissime triti. q. L.

D.

S. *Intra linteā consuta applicetur calidus: si-
mul ac madescit, aliis similis Sacculus,
priori remoto, substituatur.*

* * *
*Fomentum Antiphlogisticum, ad Ne-
phritidem. Vid. H. Bœrh. Apho-
rism. §. 997. n. 3.*

Rx. Herb. Parietar. m. iiij.

Flor. Chamæmeli.

Meliloti.

Sambuci. ana unc. 5.

Semin. contuf. Lini. unc. j.

*Conscissa, tufa tenuiter, mista, laxè
immissa duobus Sacculis lineis, quatuor pol-
lices longis, duos latis, insuantur.*

S. *Sacculi Renales, quorum unus horæ qua-
drante cum lacte dulci coctus, calidus, im-
ponatur regioni lumbari dolenti; firmetur
ligamine: ubi refixit, interea similiter
coctus alter priori substituatur.*

* * *
*Sacculus Cordialis, excitans in Languore
ab inertia defectuve Liquidi Nervo-
si orto.*

A. Rx. *Folior. recent. Melissæ.*

Basilic. ana drach. iiij.

Flor. Lavandul. siccator. drach. ij.

Cort. recent. Aurant.

Cinnamom. ana drach. j.

Croci Britann. drach. 5.

Conscissa tenuiter insuantur Sacculo,
pyramidalis, serico, rubro.

B. Rx. *Aq. Meliss. magistral. unc. ij.*
Sal. Volat. Oleos. drach. ij.
Tinet. Ambari. drach. j.

M. D. seorsim vitro probè clauso.

S. *Sacculus A. regioni Cordis adponatur prius*
irroratus Liquore B.: ubi exaruit, iterum
humectetur.

Fotus Adstringens*, * Intestino Recto pro-
lapso, reducto, conveniens.

Rx. *Herb. Anserin.*

Folior. Quercus ana m. j.

Flor. Balaust.

Gallar. Quercin. ana unc. f.

Conscissa, tusa, insuantur binis Sacculis:
sericis, æqualibus.

S. Coquantur Sacculi in Vini rubri & Acet.
ana q. s. & calidi alternatim admoveantur
Ano.

De Cataplasmate.

343. **C**ATAPLASMA est Epithema molle:
(318. 319. γ.), cohærens, pulti-
forme, mediæ inter Unguentum & Empla-
strum consistentiæ, calore non collique-
scens, variis usus externi.

344. Coctione id (343.) paratur frequen-
tissimè: quandoque tamen & sine hac, solo
tritu & miscelâ. Unde duplex est, *Cœctum*
aliud, aliud *Crudum*.

De Cataplasmate Cocto.

345. **C**ATAPLASMA COCTUM consistentiæ non diffuenti (343.) junctam exigit particularum, quibus constat, tenuitatem & cohæsionem lubricam. His si accedit earundem parvitas & mistio velut homogenea, *Puls* vocatur.

346. MATERIES triplex heic usitata est : *Liquor* : *Corpus* huic incoquendum : *Accessorium*.

a. *Liquorem* præbent varia : *Aqua*; *Lac dulce*, *ebutyratum*, *Serum Laetis*; *Succus pressus liquidus*; *Mulsa*; *Vinum*; *Acetum simplex*, aut medicatum officinale; *Urina*; *Lixivium*; *Oleum pressum*, *infusum*, *coctum*: quin & quandoque spissiora, calore tamen liquefcentia; *Butyrum*, *Axungiæ*, *Unguenta*, &c. Horum quoque plura inter se mista nonnunquam, scopo exigente, adhibentur.

b. *Coquendum* maximè e Regno vegetabili petitur : quo pertinent Radices; Bulbi; Cortices, Herbæ; Folia; Flores; Fruktus; Semina; vel ex his parati Pulveres, Farinæ; tum Succi densi, &c. Animale & Fossile Regnum pauca exhibet. Stercora, Nidus Hirundinum, Saturnina, &c. hujus sunt censūs.

γ. Accessorium, sub finem coctionis, aut hac peracta, immiscendum, vel (i.) virtu-

tem auget, coctionis impatiens aut non e-
gens: uti sunt Aquæ & Olea Aromatica,
Tincturæ, Essentiæ, Spiritus, Vinum, A-
acetum, Balsama, Extracta, Pulpæ, Ele-
ctuaria, Gummi-resinæ, Succi liquidi,
Spissi liquefcentes, Fermentum Panis, Sa-
lia, Sapo, Pulveres teneriores, Vegetan-
tium partes molliores, aromaticæ, Crocus
v. g. & similia. Vel (2.) Consistentiam &
Cohæsionem lubricam (345.) efficit: cujus-
modi sunt Farinæ, Pulveres tenues, Olea,
Unguenta, Butyrum, Mel, Mica Panis,
Ovi Albumen, Vitellus, Mucilagines, &c.

347. DELECTUM docent Dotes Catapla-
smatis (345.), Coctionis nota vis, & Indi-
catio Medici. Hinc

α. Repete dicta (322.), quorum pluri-
ma & huc quadrant.

β. *Materies decoquenda* (346. *β.*) vel mol-
lis esto, vel coctione mollescens: ut ideo
dura quævis, minus succulenta, Ligna, Sti-
pites, Radices, Cortices, &c. ferè exclu-
dantur; Recentes Vegetantium partes præ-
ferantur Siccis.

γ. Minus etiam apta sunt, quorum vir-
tus sub coctione, utpote heic aperio sem-
per vase instituendâ, avolat. Rectius hæc,
tanquam Accessoria (346. *γ.*) addideris, pro
naturæ diversitate, tritu prius vel in pulve-
rem, vel in pastam, redacta. Confer (226.
o. 227.).

δ. Panis, Farinæ, vel Pulveres tenuiores Vegetantium, faciendis Pultibus (345.) plerumque serviunt.

ε. Alias & Residuum a Fomenti Liquidi decoctione (321.) Materiem præbet, cum & Fomenti & Cataplasmati, ejusdem virtutis, junctus requiritur usus. Raro tum repetitâ opus coctione.

ζ. *Liquor* (346. α.) & Scopo & Materiæ decoquendæ aptus seligatur, coctionem quoque illibata vi sustinens. Humeçtare, Emollire, Laxare, dum vis, Aquam, Lac, hujusve præparata, Oleum & huic adfinia, capito: ubi Aperiendum, Resolvendum, Stimulandum, Aceto, Oxycrato, Urina, Lixivio, &c. utere. Ex variis inter se junctis virtus composita nascitur. Vinum, Aquæ Stillatitiæ, Spiritus Vini, Olea aromatica, & similia, coctionem vix ferunt (226. α. β. γ.), hinc satius pulpæ jam coctæ admiscentur.

η. *Accessoriis* (346. γ.) haud ubique opus. Consistentia modo, aut virtus expetita, in Materie cocta deficiens, ea postulat. Hinc si justo tenuius est magma, nec satis æquabile; Pulveres vel varinas addimus: si siccius, minus lubricum; Olea vel huic analoga. Alias & Quantitatis augendæ gratia utrisque utimur.

θ. Sint autem Accessoria utriusque classis vel liquida, vel calore liquefcentia, vel mol-

lia multiformia, vel pulverulenta teneriora; nec æquabili miscelæ resistant. Quæ difficulter solvuntur, aut calore in grumos coëunt, v. g. Resinæ, Gummi-resinæ, Galbanum, Sagapenum, &c. Aceto prius; Vino, Spiritu vini, Vitello ovi, subigere expedit.

i. Olea & his adfinia ne promiscuè ubi-vis adhibeto. Obstruendo poros sæpe nocent: ni Sapone aut Menstruo idoneo ea ad-tenuaveris.

x. Numerus Ingredientium, qualis in Decoctis (226. ψ.), fertur.

348. ORDO quoque idem est, ac (227.). Accessoria (346. γ. 2.) plerumque postremum tenent locum; quia sæpe quantitate non determinata præstituuntur. Si tamen valde volatilia accedunt, hæc quippe ultimò miscenda, reliquis postponuntur.

349. DOSIS ex partis fovendæ magnitudine cognoscitur, alio non egens limite.

350. QUANTITATEM GENERALEM similes conditiones (325.) determinant. Unde uti Lib. ij. iij. & plures, quandoque æquat, ita, ob coctionis necessitatem, raro Lib. β. minor præscribitur.

351. PROPORTIO Ingredientium mutua feré tota intelligitur ex (217. 230. 303. 326.). Adde saltem.

α. Materiem decoquendam (346. β.) ea capi quantitate, quæ Scopo, Dosi (349.),

& Quantitati Generali (350.) sufficit; quum tota ejus substantia heic in usum veniat. Repetantur cæterum dicta (303. 326.).

β. Liquoris (346. *a.*) Proportionem vix unquam determinari, sed capi modo q.
f. Sufficit autem huc parcior plerumque quantitas, quam ad Decocta interna, vel externa liquida (230. 303. 326.); ut tanto citius justa obtineatur consistentia (343.): modo non requiratur coctio longior ad Materiem (346. *β.*) emolliendam.

γ. Oleum, Buryrum, Axungia, &c. si pro Menstruo fuerint (346. *a.*), perparca recipi; ne igni diutius admota rancefcant, & acria reddantur. Unde Frixio potius aut simplex Coliquatio, quam Coctio, tum plerumque heic usitata est.

δ. Pultibus (345.) itidem minorem ferè Liquidi quantitatem sufficere; quia Materiae (347. *δ.*) tenerior coctione leni facile concorporatur.

ε. Accessoria (346. *γ.* 1.) vix certos in genere admittere limites. Virtus & Consistentia eorum magis minusve ad Pultis spissitatem accedens, quantitas Materiae decoctæ, & Intentio Medici, heic considerandæ. Si fluiditate vel siccitate nimia justam Cataplasmatis formam (343. 345.) perverrunt, Accessoria (346. *γ.* 2. 347. *η.*) adhibentur.

ζ. Accessoriorum (346. *γ.* 2.) Propor-

tio ex quantitate & consistentia tam Materiæ decoctæ, quam Accessoriorum (ε.), determinatur. Posterior vero cum non ubique eadem sit, patet, ex priore sola certi quid statui haud posse. Hinc anceps optime semet expediverit addendo requisiti (347. n.) q. s. Si autem & sicco & liquido uti animus est (ibid.), alterutrius, vel utriusque etiam q. s. præstitui potest.

352. SUBSCRIPTIO præcipit Materiæ (346. β.), si opusest, prius conscißæ, tuſæ, aut maceratæ, cum Menstruo (ibid. α.) Coctionem. Hujus vero terminum figit Emollitio, Putrilago, Teneritudo; si Matrices crassior est aut solidior: si tenera, pulvulenta; pultiformis spissitas limitem ponit, quam & promovet jugis sub Coctione agitatio, quippe & miscelam reddens æquabilem, & empyreuma arcens, ubi Liquidi parciор adest copia. Superadditur dein coctæ Materiæ Contusio & Cibratio, si stamina ejus coctione satis emolliri nequeunt. Pulpæ tandem, vel Pulti paratæ, ab igne remotæ, aut mox removendæ, admiscenda jubentur Accessoria (346. γ.). Formulam claudit: *F. Cataplasma vel Puls. D. ad Fidile.*

353. SIGNATURA patet ex (345. 328.). Epithema hoc fere semper adplicatur calidum; quandoque linterminibus inclusum; ne inquiet. Alias & proxime ante adpli-

cationem demum miscentur eidem volatilia, v. g. Vinum, Spiritus, & similia, quæ tunc, nisi vulgaria sint, seorsim exhibet Pharmacopœus. Ubi usus longior, aut frequenter repetitus, Cataplasmatis nimiam efficit siccitatem, tantillum Liquoris, quo-cum id coctum est, aut alterius idonei, ipsi inter calefaciendum adfundи jubetur. Cæ-tera ex loc. cit. intelliguntur.

354. Usus eximus est in Tumoribus, Inflammationibus, Abscessibus, Gangræna, Obstructionibus, Contusis, Ambustis, Doloribus, &c., ubi emolliendum, refrigerandum, stimulandum, adtrahendum, demulcendum, sopiendum, maturandum, discutiendum, Acre corrigendum; modo Materies apta scopo feligatur.

355. SPECIMINA funto.

* * *
Cataplasma Emolliens, Narcoticum: ad Exemplum H. Bærh. Mat. Med. p. 65.
&c. Rad. Altbeæ. unc. ij.

Capit. recent. Papav. hort. cum Semin. No. iv.

Fol. recent. Hyoscyam. nigr. m. 3.

Micæ Panis albi. unc. iiij.

Contusis, cuin *Lact. recent. q. f.* ad emollitionem usque decoctis, trajectis, adde
Olei Solani. unc. j.

Farin. Semin. Lini q. f.

Ut F. f. a. Cataplasma.

240 DE CATAPLASMATE COCTO.

S. *Calidum parti dolenti adplicetur, donec remittat dolor.*

* * *

Cataplasma Antisepticum, ad Gangrænam: juxta Exemplum H. Boerh.
Mat. Med. p. 100.

A. Rx. *Rad. Helenii.* unc. ij.

Herb. Tanacet.

Absynth.

Scordii ana unc. iiij.

Baccar. Juniper. unc. iij.

Conscissa, *tusa*, decoque in *Aq.* & *Acet.* ana q. s. ad teneritudinem. *Contusis* dein & per *Setaceum* *trajectis* admisce

Sal. Gemmæ. unc. ff.

Ol. Nardini. unc. iij.

Farin. Lupinor. q. f.

Ut F. s. a. Cataplasma.

B. Rx. *Spiritus Matrical.* unc. iv.

Camphoræ. drach. j.

Concute ad solutionem usque.

D. seorsim vitro clauso.

S. *Cataplasma* (A.) *calidum*, *irroratum prius tantillo Spiritus* (B.), *adplicetur cum panmis lineis parti affectæ*, & *Vesica* *suilla Oleo madefacta* *detineatur*: *renovetur quolibet triborio.*

* * *

Puls Emolliens, Stimulans, in Pus Matu-
rans.

Vide

DE CATALPLASMATE COCTO. 241

Vide H. Boerh. Mat. Med. p. 90. 91.

R. Farin. Tritici.

Lini recent. ana unc. iij.

Cum Acet. & Olei Lilior. alb. ana q. s.,
sub jugi agitatione, cocta leniter, re-
dige in Pultis consistentiam, cui dein
admisce

Pulp. Cepar. sub cineribus assatar.
unc. ij.

Gumm. Ammoniac. in Vitello ovi so-
lut. unc. j.

D. ad Fictile.

S. Admoveatur calide loco affecto: renovetur
quater de die: ubi arescit, tantillo Butyri
insulsi emolliatur.

Aliud simile. Ibid. p. 90.

R. Fol. Acetos. recent. m. iv.

Butyri insulsi. unc. j.

Ad ignem leniter, parum, decoctis adde
Fermenti panis. unc. ij.

Gumm. Sagapen. in Vitello ovi solut.
unc. 3.

F. f. a. Cataplasma.

S. Ut prius.

Cataplasma Suppurans, ad Bubonem Ve-
nereum.

Vide H. Boerh. Mat. Med. p. 248.

R. Ficus molles, maturas, ad Lib. 3.

Mell. recent. unc. ii.

Galbani in Vitello Ovi soluti. unc. j.

Q

F. s. a. cum *Aq.* coquendo Cataplasma.

S. Admoveatur calidum parti affectæ, cum panno lineo quadruplicato: renovetur post 4 vel 6. horas.

De Cataplasmate Crudo.

356. **C**ATAPLASMA CRUDUM (344.)²¹
spissitate Bolo vel Electuario (127.^{..}
138.) proximum, nec lubricam Cocti (345.)
Mollitem, nec Miscelam adeo æquabilem,
semper poscit vel admittit.

357. MATERIES ejus in genere est,
qualis Boli (128.); hinc *Excipiens* vel *Ex-
cipienda*.

a. *Excipiens* est vel (1.) Mollis: uti Con-
servæ, Rob, Electuaria, Mel, Balsama
spissa, Extracta mollia, Succi densi idoneo
menstruo soluti, inque pulvis formam rur-
sus cocti, Sapo, Fermentum Panis, Mica
hujus recens aut macerando emollita, Bu-
tyrum, Axungia, Unguenta, Pulpæ
Stercora recentia, Vegetantia recentia au-
Animantia viva, eorumve Partes molles
succosæ, in pastam fusæ, &c. Vel (2..)
Liquida: Vinum v. g. Acetum, Spiritus
Vini, Aquæ stillatit. Lac, Mucilago, Sy-
rupus, Oleum, Ovi Albumen & Vitellus
Urina, Lixivium, Succus pressus; tum enu-
merata (128. γ.).

β. *Excipendam* præbent Sicca quævi
Pulverulenta, e Regno triplici petita.

358. DELECTUS, juxta Scopum Medici & Formulæ hujus dotes (356.) determinandus, facile intelligitur ex iis, quæ hactenus de Externis diximus. Nota insuper paucis

$\alpha.$ Vegetantia recentia dum deficiunt, substitui posse sicca idoneo liquore macerata: prout & de Pane jam dictum (357. $\alpha.$ 1.).

$\beta.$ Bulbos & Fructus quandoque prius assari sub cineribus; ut Pulpam exhibeant tusa molliorem.

$\gamma.$ Mollia (357. $\alpha.$ 1.) saepe sola, aut &, si spissiora sunt, cum Liquidis (2.), absque Siccorum (ibid. $\beta.$) accessu, adhiberi. Alias & Sicca sola cum Liquidis: tum vero vel hæc requiri paullum glutinantia, vel Sicca ejusmodi, quæ Liquido permista facile cohærescant. Frequentissime & Molle & Liquidum simul inservire excipiendis Siccis, aut Sicca illis cogendis.

$\delta.$ Ingredientium numerum esse, qualem in Electuario (140. $\zeta.$).

359. ORDO quoque similis, ac (141.), obtinet.

360. DOS IN eadem limitant conditiones, quæ (349.).

361. QUANTITAS GENERALIS, minor saepe, quam (350.), ne unc. j. quidem quandoque excedit, & raro ad aliquot Libras usque augetur: quum enim præparatio heic facilior sit & promptior, creberrime una

tantum Dosis simul præstituitur: quod ipsum scopus quoque sæpius flagitat, quam in Cocto (353. 355.).

362. PROPORTIONEM Ingredientium mutuam novit ferè, qui dicta (133. 144.) confert cum vi medicata & consistentia Materiæ, quam feligit (357. 358.), cum dotibus Formulæ (356.), Dosi (360.), & Quantitate Generali (361.). Adde

α . Spissitatis gradum (356.) heic non adeo constantem esse, quin alias major, alias minor adhibeatur; sive scopus id, sive natura Materiei, postulet. Profundè penetraturis consistentia dilutior magis convenit (322. γ.), &c. Proportio hinc nec ubique eadem obtinet; licet tamen in genere ferè similis sit datae in Electuario (144.), aut Bolo (133.).

β . Usitatissimè heic Excipientem Materiem vel mollem, vel liquidam (357. α . 1. 2.), vel utramque, saltem q. s. præscribi, aut &, hujus quantitate definitâ, Excipientæ (ibid. β .) molem non determinari. Unde facilis dubitanti expeditio.

363. SUBSCRIPTIO injungit contusio-
nem, miscelam, ut F. s. a. Cataplasma, aut
Epithema: promiscuè enim hoc illove no-
mine uti quidam solent. Quandoque a
parte, cui id applicatur, nomen habet:
unde, quæ Carpis admoventur, Epicarpia,
quod Fronti, Frontale, &c. audiunt. Sæ-

pissime tamen pars modo adscribitur, cui adponi debet; maximè si & ejus suo super Vehiculo (320.), panno nempe lineo, lano, serico, corio, stupa, &c. (328. γ.) extensionem Pharmacopœo committimus; tumque magnitudo etiam & figura Vehiculi commemorari potest (339. β. 2.); quamquam posterioris tanta heic non habeatur ratio.

364. SIGNATURA, facilis ex (328. 353. 363.), partem fovendam, tempus, modum adplicandi, de quo paullo ante (363.), &c. exponit. *Vehiculum* (*ibid.*) saepe liquore idoneo, Aceto, Vino, Oleo, Alcohole, Epithemate liquido, imbuitur prius, quam Cataplasma excipiat. Alias & Inclusio heic obtinet (353), ne partes inquinentur. Calida, tepida, frigida, fit adplicatio pro scopi & materiæ diversitate; rarius tamen calida, quam Cocti (*ibid.*).

365. USUS idem ferè est, qui (329. 354.), at minus universalis. Epispastica, Vesicatoria, frequenter hac formâ adhibentur. Spissitas major Cataplasma plerumque Epithemate Liquido minus promptè in partes profundas penetrabile reddit, minus etiam citò dissipabile: unde diutius, fortius, agit in externas.

366. SPECIMINA funto.

* * *

Epicarpia Antifebrilia.

246 DE CATAPLASMATE CRUDO.

Vide H. Boerh. Mat. Med. p. 136.

Rx. *Uvar. Corinthiac.*

Summit. Lupuli.

Sal. marin. ana unc. ij.

Contusa in Pultem D.

S. Excepta linteis Pulsuum locis adplica ad Arterias, duabus horis ante ingruentem paroxysmum.

* * *

Epithema Stomachicum, Roborans, pro Infante. Ibid. p. 223.

Rx. *Flaved. Cort. Citrei raf. unc. 5.*

Nuc. Myristic. drach. ij.

Vini Hispanic. drach. iiij.

M. conterendo simul in Mortario.

S. Excepta micâ Panis adplicantur Stomacho.

* * *

Cataplasina Adstringens, ad Hæmorrhagiæ partis externæ vulneratæ.

Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 104.

Rx. *Sang. Dracon. drach. j.*

Sarcocoll. drach. ij.

Lap. Hæmatit. drach. 5.

Bol. Armen. unc. j.

Tenuissime pulverisata, mista, excipiuntur.

Album. Ovor. q. s. ut F. Cataplasina.

S. Exceptum id Stupâ Alcohole Vini madidâ admoveatur vulneri, tum vesica vel fascia circumpositâ firmetur.

Epithema molle, Excitans, Cardiacum.

Bx. Summit. tener. recent. Melissæ.

Abrotan. ana
unc. β.

Theriac. Andromach. drach. iij.

Caryophyll. arom.

Cinnamom. ana drach. j.

Cum Vini Rhenan. generof. tantillo con-
tusa D. ad fictile.

S. Extenſa ſuper pannum Scarlat. Vino Rhe-
nano prius madefactum, tepida, regioni
Cordis adplicantur.

Cataplasma Acre, Emolliens, Stupefaciens.

Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 92.

Bx. Fermenti Panis acris. unc. ij.

Sapon. Venet. ras. drach. ij.

Mellis. unc. β.

Ol. Chamæmel. infus. drach. ij.

M. F. f. a. Cataplasma.

S. Calidum imponatur Abscessui maturo, ape-
riendo, donec integumenta maceratae ſenſum
perdiderint.

Cataplasma Emolliens, Anodynum.

Bx. Micæ Panis Siligin. in Lacte dulce
macerat. Lib. β.

Vitell. Ovor. No. iij.

Croci pulveris. drach. ij.

Farin. Lini q. f.

Ut conterendo F. Cataplasma.

S. Cum linteamine duplicato, aut panno laneo,
dolenti parti adplicetur calidum.

Nota. Adhac tenus traditam Epithematum Historiam (318. ad 366.) pertinent & AMULETA; ut ideo, his qui uti volet, inde facile haurire queat generalia, quae in iis præstituendis observanda sunt. Specialia docet recepta circa quodvis opinio. Ad Cruda Cataplasma (356.) retuleris & Cataplasma Emplastrodes ex Theriaca supra linteum aut alutam extensa parari solitum, Ventriculo præprimis & Intestinis roborandis dicatum.

De Balneo.

367. BALNEUM est Medicamentum Externum, quod Liquoris vel Vaporis specie, absque Vehiculi interventu (320. 328. γ.), superficiem corporis humani externam adluendo, opem præstat.

368. Patet igitur *Humidum* aliud, aliud *Vaporosum* esse. Utrumque insuper vel est *Universale* vel *Particulare*, prout toti corporis superficie, aut hujus tantum parti, inservit. De *Humido* prius dicam.

De Balneo Humido.

369. BALNEUM HUMIDUM, ut variissim partibus, varioque modo, adplicatur, varia accepit Nomina. Universale (368.) *Balneum* proprie adpellatur: si vero

dimidiæ corporis regioni tantum, a Scro-
biculo Cordis aut ab Umbilico ad Crura aut
imos usque Pedes exorrectæ, dicatur,
Semicupium, Infessionem, Infessum, vocant:
si Pedibus, *Pediluvium*: si Capiti, *Capiti-
luvium*: si aliis partibus, *Lavatio, Lotio,
Lavamentum*, audit: si ex alto, vel gutta-
tim, vel continente rivulo, in partem de-
pluit, *Embroche, Stillicidium, Impluvium*
dicitur, cuius tamen usus hodie, præter-
quam in Thermis Naturalibus, ferè exole-
vit.

370. MATERIEM dat Liquor medicatus
quicunque, diffusior, scopo aptus, sæpi-
simè vulgaris, absque Pharmacopœi operâ
parabilis, nec formulâ egens: ut Aqua sim-
plex, salsa, saponata, Lixivium cinerum; Lac
dulce, hujus Serum; Thermæ naturales;
Oleum blandum; Aqua permista Laeti,
Vino, Aceto, Oleo, quod Hydrelaeon vo-
catur, Butyro; Decoctum domesticum
Furfurum, Partium Animalium, &c. Alias
tamen & arte Pharmacopœi parata Decocta
(224.), Infusa (211.), Mixturæ (272.).
Confer (321.).

371. DELECTUS patet ex dictis (299.
322.). Virtus apta, Penetrabilitas & Con-
sistentia liquida heic præprimis spectantur,
neglectis, quæ ad Colorem, Odorem, &c.
attinent. Cæterum

a. Heic præprimis, ubi Liquor Simplex

sufficit, Composito is Officinali præferatur (29. 31.); quia moles major sumptum auger. Unde ad Universalia (368.) vix nisi vulgaribus (370.) utimur. Memento tamen & (23. 30.).

β. Pinguium & Aquosorum, si simul adhibentur (370.), permixtio tam exacta heic non requiritur, medio ut Sapone opus sit (274. 2.).

γ. Quæ ex Fossilibus, Nitro, Sale mar. Alumine, Vitriolo, Sulphure, Calce viva, Alcali fixo, &c. parantur, ut non ubique usu omni careant, Thermarum tamen naturalium vires nunquam planè exprimunt.

δ. Numerus Ingredientium vix major esto, quam in Decocto 226. ψ.).

372. ORDO idem est, qualis in Formulæ similis internæ, (370.), præscriptione.

373. DOS IN dictat superficie humectandæ (369.) amplitudo, & vasis balnearii constructio.

374. QUANTITAS GENERALIS sæpiissimé unâ tantum Dosi (373.) constat; præcipue cum Universale est aut majori superficie aptatum Balneum (369.). Minorum partium Lavationes etiam ad plures Doses præstituuntur simul, quarum tum quantitas juxta (325.) facile determinatur.

375. PROPORTIO Ingredientium mutua similibus limitatur conditionibus, ac (326.), additis simul (373. 374.). Nota insuper

α. Plerumque virtutem heic non admundum contractam exigi: ut ideo Menstrui vel Excipientis proportio longè capiatur major, quam ad similia Liquida interna.

β. Quin sæpiissime Menstrui q. s. ad Decocta heic usitata saltem præscribi.

γ. Alias & Decoctum vel Infusum parari posse consuetâ in Internis proportione (217. 230.), valde saturum, idque dein, usus tempore, adfuso plure Menstruo aliove liquore idoneo dilui: quod maximè ex usu fuerit in Balneis diffusioribus conficiendis; ne Ahena grandiora eò requirantur.

376. SUBSCRIPTIO, ratione præparationis est, qualis similium Liquorum internorum (218. ad 220. 231. 279.). Depuratione exacta non opus (219. d. 2. 3. 4.). Imo materies solida sæpe in ipsa Cupa Balnearia cum Menstruo infunditur & maceratur, aut alio in vase cocta simul dein suo cum liquore in Cupam inijcitur, ut frictioni, inseffui, &c. serviat. Creberrimè & heic, in Balneis præsertim majoribus, locum habet (220. 231.); dum Materiem tantum exhibet Pharmacopœus in domo ægri infundendam vel decoquendam: quin hæc quoque Sacco lineo, laneo, quandoque prius insuitur, qui, Fötus Sicci instar (331.), parti affectæ, sub usu Balnei, admoveatur, aut pulvinum præbeat insidenti: quod in Semicupiis maximè usitatum. Claudit hinc

Formulam: *F. Liquor*, vel *Species*, vel *Sac-*
cus, pro *Balneo*, *Semicupio*, *Pediluvio*, &c.
 (Vide 369.).

377. SIGNATURA intelligitur ex (60.
 369. 373. 376.) comparatis ad ea, quæ de
 legitimâ Balnea administrandi ratione sug-
 gerit justa Indicationum Doctrina: neque
 enim paucis hæc complecti licet; pluribus
 autem obstat instituti mei ratio. Vide *Cl.*
F. Hoffmanni Opuscul. Physico-Medica, tum
Medic. Ration. System. Tom. III. Sect. II. Cap.
X. & alios.

378. USUS Balneorum, hodie rarer,
 Veteribus frequentissimus, nec ad mundi-
 tiem modo & delicias, sed ad prophylaxin
 quoque & therapiam Morborum aptissimus,
 humectando, emolliendo, demulcendo,
 adtrahendo, discutiendo, roborando, ape-
 riendo, refrigerando, calefaciendo, atte-
 nuando, sopiendo, &c. in chronicis, acutis,
 externis, internis, malis summum fert auxi-
 lium; licet nec noxis careat intempestivè ad-
 habitus. Vid, *Idem Cl. F. Hoffmann. loc. cit.*

379. SPECIMINA sunto.

* * *

Lotio Mundans ad Pediculos planos Pubis.

Vide H. Bœrh. Elem. Chem. T. II. p. 488.

R. Mercur. sublimat. corros. gr. iv.

Aq. stillat. Rosar. unc. iv.

M. D.

S. Tantillo hujus Liquoris laventur mane &
 vesperi loca infestata.

Semicupium Emolliens , Anodynum ,
Calculo Ureteribus impacto profi-
cuum.

Vide H. Boerh. Aphor. §. 1426.

Rx. Rad. Altheæ. unc. iv.

Herb. V. Emollient. ana m. iv.

Flor. Papaver. Errat.

Chamæmel. ana m. ij.

Conscissa insuantur laxè Sacculo lineo
quadrato , ad lumborum dimensionem
aptato. D.

S. Saccus coquatur per 1/2 horam in Lact. dulc.
duplo aquæ diluti q. s. Liquori calenti insi-
deat æger ab umbilico ad crura usque , Sac-
co lumbis supposito , manè & vesperi per ho-
ram. Interea bibat Decoctum Diureticum
H. Boerh. Mat. Med. p. 244. descriptum.

* * *
Lavamentum ad Intertriginem.

Rx. Aq. stillat. Rosar. unc. x.

Tinct. Benzoin. unc. j.

Sacch. Saturn. drach. j.

M.

S. Lac Virginale , quo partes excoriatæ , prius
aqua abstersæ , laventur.

* * *
Balneum ad Glutinosa , pro Infante.

Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 44.

Rx. Summit. Rutæ.

Sabinæ.

Absinthii.

Tanaceti.

Chamæmeli. ana m. iij.

Cum *Aq.* decoct. Pintis xij. admisce

Sapon. *Venet.* unc. iv.

Sal. *Sarmentor.* unc. j.

F. Liquor pro Balneo.

S. *Huic tepido insideat æger collo tenuis mane*
& vesperi per 152 horam: post fricitur cor-
pus universum cum pannis laneis, siccis, ca-
lidis.

* * *

Pediluvium Refrigerans, Paregoricum.

Rx. *Fol. recent.* *Salicis.*

Malvæ.

Laetuc.

Nymphaeæ. ana m. ij.

Flor. *Rhœad.* m. j.

Cap. *Papav.* alb. No. vij.

Nitri. unc. ij.

Conscissis, tufis, mistis, F. Species pro
Pediluvio.

S. *Species cum Aq. pluv. q. f. coquantur, subb-*
finem addendo Aceti Vini Pint. j. Decoctum
tepidum sit pro Pediluvio, cui insideat æger
ad crura usque per horam, vespere: egressus
ad somnum se componat.

* * *

Balneum Emolliens, Antisepticum, ad
Gonorrhœam..

Vid. H. Bærh. Mat. Med. p. 245.

R. *Fol. rec. Rutæ.*

Scordii.

Alliariæ.

Malvæ. ana m. ii.

**Cum Aq. decoct. & expressis admisce
ad Lib. ij.**

Sapon. Venet. drach. j.

Spir. Vini comm. drach. vj.

S. *In hoc tepido Virga & Scrotum immergan-
tur ter quaterve de die, spatio 1f2. horæ:
dein panni lanei eodem Decocto immersi,
& expressi, omni applicentur Pubi,
Scroto, Perineo.*

De Balneo Vaporoso.

380. **B**ALNEUM VAPOROSUM (368.) est Medicamentum externum, cuius Vapores ad superficiem corporis externam aut foras patentem determinati, vel & cum aëre adtracti, scopo Medici satisfaciunt.

381. Vapores autem (380.) e Materie vel ($\alpha.$) exhalant sponte, naturali atmosphæræ calore acti: quæ *Odoramenta* audiunt, inferius demum explicanda; quum cognitionem quorundam, de quibus nondum egimus, supponant. Vel ($\beta.$) admoto igne excutiuntur: de quibus nunc dicemus.

382. Posteriora (381. $\beta.$) *Liquida* sunt vel *Sicca*: illa vocabo *Vaporationes Humidas*: hæc *Suffitus*, *Suffimenta*, *Suffumigia*, cluent. Utrumque, uti Balneum *Humidum* (368.),

in *Universale* & *Particulare* distinguitur.
De *Liquidis* prius agam.

De Vaporatione Humida.

383. **V**APORATIONIS HUMIDÆ MATERIES est Liquor omnis, ignis ope in Vapores resolubilis medicatos: cuiusmodi sunt Aqua simplex, Lac, hujus Serum, Vinum, Acetum, Spiritus Vini, Urina; Præparata & Composita Officinalia, Aquæ stillatit. Tincturæ, Essentiæ, Elixiria, Spiritus, & similia; tum ex his aliisque arte selectis confecta Infusa (211.), Mixturæ mediae (272.), aut Contractæ (283.), præprioris vero Decocta (224.).

384. **D**ELECTUS, præter toties jam de Externis dicta, notare jubet,

a. Vapores heic vel incensionis, vel, quod frequentius, ebullitionis igne de Materie (383.) excuti; hinc virtutem in ea requiri hoc illove calore volatilem.

b. Videndum ergo prius, quo uti calore velis aut possis; ut huic dein aptam feligas Materiem: hac enim manente eadem, pro ignis diversitate diversus erit Vapor. Alcohol Vini bulliens exhalat Alcohol, accensum vero Aquam.

γ. Unde si bulliendo, ut sæpiissime fit, vaporandum, vanus ea admiscueris, quorum virtus Liquoris, quo uteris, ebullientis calore dissipari nequit. Adstringentia ergo,

ergo, Extracta coctione spissata, Animalia ac Fossilia fixa, &c. inepta. Optima, ex quocunque Regno, quæ aquæ incocta efficaces stillant Aquas, Spiritus, aut Olea (a). Emolliens quoque, Demulcens, Sopiens vis, licet penitus fixa videatur, aliqua tamen ex parte, coctionis ope, in Vapores abit.

δ. Patet hinc Decoctis hujus Formulæ ea etiam idonea esse, quæ, quod virtute gaudent volatili, ad interna minus conveniunt (226. α. β. γ. ο.); modo & Coctio & Vaporatio simul perficiatur.

ε. Ubi varia inter se misces, disce ex Chemia mutuas aliorum in alia actiones. Docet hæc bina Fixa inter se juncta Vapores dare volatiles, & contra Volatilia figi mista Volatilibus aut fixis. Calcem vivam aut Alcali fixum adde Sali Ammoniaco, Acidum Vitrioli Nitro, Sali Communi, &c. Acidum Nitri, Salis, Aceti, junge Alcali volatili, fixo, Terræ absorbenti, &c. Credes dicta.

ζ. Memor denique summæ penetrabilitatis Vaporum igne actorum cave ne lædas profuturus.

η. Numerus Ingredientium est, ut in similibus Internis (383.).

385. Ordo itidem nihil habet peculiare.

386. Dosis Mensurâ aut Pondere nun-

(a) Vide H. Bœrh. Elem. Chem. Vol. II. Proc. I. XV. &c.

quam, sed ex Vaporationis duratione plerumque determinatur: unde vel Liquoris Quantitas Generalis tota simul igni exponitur, vel ejus modò pars circiter sufficitura, si minus, plure dein adfuso supplenda. Quandoque tamen, ubi fœtoris corrigendi gratia Essentiis tantum aut Oleis pretiosis utimur, Dosis ad Guttulas aliquot restrin gitur.

387. QUANTITAS GENERALIS scitur ex vaporanda superficie & Vaporationis duratio ne ac frequentia: ut ideo Lib. j. ij. iij. & plures aliquando præstituantur. Si tamen Dosis aliquot modo Guttæ constituunt (386.), Scrupulus etiam aut Drachmula sufficit.

388. PROPORTIO mutua Ingredientium patet ex iis, quæ hactenus de Externis similibus dicta sunt (303. 326.). Menstrui ad Decocta & Infusa sæpiissime heic modo q. s. præscribitur.

389. SUBSCRIPTIO est, ut in Balneo liquido (376.). Neque heic, nisi simplici Defusione, depuratur Liquor. Quin & sæpe Materiem tantùm decoquendam præbet Pharmacopœus; ut coctio demum coram ægro, inter Vaporandum, fiat (384. d.). Sacculo etiam quandoque includuntur Species, qui Vaporatione peracta calidus adfæctæ parti applicatur. Subscribitur ergo F. Liquor, vel Species, vel Sacculus, pro Vaporario vel Balneo Vaporis.

390. SIGNATURA, præter communia, singularem heic utendi modum exponit, qui pro vario scopo varius est.

α. Si Vapore corrigendam modò atmosphærā requirit Fœtor, Contagium, Aër putridus, Pestilens, &c.; prunis in loco infecto positis vel adfunditur Liquor, vel super his in olla repanda locatus bulliendo in Vapores solvitur per Aëra diffundendos.

β. Si corporis ægri superficie proximè applicandus Vapor; variæ inventæ sunt Domunculæ, Sellæ, Arcæ, Machinæ forniciatæ, intraquas stans, sedens, jacens æger, corpore nudo, aut tenui linteamine tecto, capite foras porrecto, coercitum excipit Vaporem, natum de liquido vel accenso, v. g. Spiritu Vini, vel fervente; dum id, igne etiamnum bulliens, ocyus in loculum reponitur è adaptatum, & frigescenti aliud fervefactum substituitur; aut Silicibus cædactis superfunditur, hive in illud conjiciuntur, aliis augendi, cum refixerunt.

γ. Si cavum quoddam, Auris v. g. Nares, Fauces, Bronchia, Vagina, Uterus, &c. aut minor corporis superficies, Vapore maceranda; Infundibula, Stragula, ex usu sunt.

δ. Quæ ante, sub, & post Vaporationem agenda, tum ejus durationem, iterationem, &c. ex Indicatione sua in singulis discit Medicus.

391. Usus Vaporarii insignissimus, Balnei Liquidi similis (378.), & vel longè efficacior, videatur apud eundem *Cl. Hofmannum* loc. cit.

392. SPECIMINA funto.

* * *
Vaporarium particulare, Emolliens, Resolvens, ad Anginam Inflammatoriam.

Vide H. Boerh. Mat. Med. p. 137.

Rx. *Acet. Samb.*

Rosar.

Calendul. ana unc. j.

Aq. still. Samb. unc. vj.

M.

S. *Vapor calidus hauriatur infundibuli ope in fauces.*

* * *
Balneum Vaporosum universale, Nervinum, Antiparalyticum.

Conf. H. Boerh. Aphorism. §. 1068. 1069.

Rx. *Herb. Majoran.*

Menth.

Mari Syriac.

Fol. rec. Cochlear.

Summit. rec. Rutæ.

Flor. Chamæmel.

Baccar. Juniper. ana m. j.

Conscissa, tusa, mista, digere in Phiala alta Chemica, cum *Aceti* & *Spirit. Vini vulg.* ana q. s. per diem & noctem.

S. Liquor bene calidus, una cum Speciebus,
in ollam effusus, reponatur in loculum
Fornicis Sudatorii, ac Silicibus candenti-
bus injectis fervens detineatur. Sub For-
nice decumbens Æger, ingestō prius De-
cocto attenuante, Vapores excipiat nudo
corpore, ut sudet per 152. horām aut ul-
tra, si vires ferunt. Sudoribus detersis
corpus fricitur pannis laneis, calidis, sic-
cis, villoſis.

* * *
Vapor Suaveolens ad Fœtorem loci corri-
gendum.

Rx. *Effent. Ambar.* drach. ij.
Ol. still. Caryophillor. gutt. xxv.
Cinnamom. gutt. x.

M. D. Vitro probe clauso.

S. Hujus aliquot Guttulæ prunis non fuman-
tibus, aut Silici ignito, instillentur.

* * *
Vaporatio Emolliens, Resolvens, ad gra-
vem Auditum a causa frigida.

Rx. *Folior. Absynth.*
Rosmarin.

Summit. Rutæ. ana m. §.

Flor. Lavendul. unc. §.

Baccar. Laur.

Semin. Cumin. ana drach. iij.

Conſcissa, tufa, mista, infue Sacculo.

D.

S. Coquatur Sacculus in q. s. Vini: Vapor

*ope infundibuli immittatur Auri adfectæ,
mane & vesperi per 1/2. horam: post Sac-
culus ipse e decocto exemptus, valde calens,
Auri adplicetur, firmetur.*

* * *

Vapor Antiloimicus.

Bx. *Aceti Vini vulg. Pint. ij.*

Sal. marin.

Nitri.

Ol. Vitriol. vulg. ana Lib. 3.

Aq. puræ. Pint. j.

M.

S. *Immissa in ollam fictilem vitreatam, re-
pandam, super prunas reposita, in limi-
ne domus aut cubiculi leniter evaporent.*

De Suffitu.

393. **SUFFITUS** (382.) est Medicamentum
siccum, cuius accensi vapore per
Atmospærā diffuso, aut ad superficiem
corporis ægri externam, hujusve in ostia
admisso, Medicus finem suum adsequitur.

394. MATERIEM ei primariam præbent
Sicca quævis, vel Inflammabilia vel Volati-
lia, quæ igne cremata Vapores fundunt
medicatos. Quare huc maximè recipiun-
tur Vegetantium partes solidæ, tum Succi
densi, Resinæ, Gummi-resinæ, Balsama
sicca, &c. Ex Animali Regno Moschus,
Zibethum, Castoreum, Fella inspissata. Ex
Regno Fossili Succinum, Ambarum, Sul-

phur, Nitrum, Cinnabaris, Sal Ammoniacus, &c.

395. FORMA Suffitūs est vel *Sicca Pulverulenta*, vel *Sicca Cohærens*, solida.

α. Prior, particulis constans plerumque longe crassioribus, quam Tragea (107. β.), exhibit vel *Pulverem dictum Fumalem*, prunis inspergendum, vel *Nicotianam medicatam*, vulgaris instar Tabaci, e fistula hauriendam.

β. Posterior, particulis exactius mistis, & apto glutinante coactis, varias fingit in figuras, *Trochiseos* vel *Pastillos*, *Baculos*, *Candelas*, *Aviculas Cypriás*, *Tædas* minores, majores, quæ prunis injecta, fornaci calidæ adfricta, accensa, fumos spargunt requisitos.

396. DELECTUM Materiæ (394.) limitat scopus Medici & Forma selecta (395.).

α. Hinc quæ ad delicias, aut fœtorem loci corrigendum, adhibentur, nonnisi suaveolentia recipiunt, Aromata v. g. Thus, Styracem, Ladanum, Benzoën, Ambarum, & similia. Ubi roborandum, calefaciendum, siccandum, dissipandum; Resinæ, Gummi, Gummi-resinæ, Aromate etiam non suavissimo prædita, tum Succinum, Sal Ammoniacus, &c. optima. Hystericis Fœtida, Castoreum, Asa fœtida, Galbanum, &c. magis apta. Sulphur, Nitrum,

putredini adversa. Venereis opponitur Cinnabaris.

$\beta.$ Vegetantium partes solidæ natura sicciores, aut arte siccatae, tantum huc quadrant, facilius quippe inflammabiles.

$\gamma.$ Liquores etiam aromatici, coactiores, non tamen aquosi, sed flaminam alentes, ut Essentiæ, Olea, Balsama liquida, siccis restrictâ dosi admiscentur: prout in internis quoque obtinet (110. d. 174. a. 4.).

$\delta.$ Nicotianæ medicatæ (395. a.) Basin Tabaci Folia præprimis constituunt: minor aliarum Herbarum, Florum, Corticum, Aromatum, &c. quantitas accedit. Excluduntur Succi igne liquefcentes, obstructuri quippe canalem fumisugii.

$\epsilon.$ Cogendis massis Formæ posterioris (395. $\beta.$) Mucilago Gummi Tragacanthæ, Ladanum liquatum, Terebinthina, aut Balsamum quoddam liquidum, infervit.

$\zeta.$ Pastillos, Candelas, Aviculas Cypriæ, Saccharum quandoque ingreditur, quo matieres reliqua & magis diffundatur, & vividius ardeat.

$\eta.$ Quæ semel accensa, sponte dein proserpente scintillatione, ignem alere debent, ut sunt Candelæ & Aviculæ Cypriæ, levioris ligni, Salicis v. g. vel Tiliæ, Carbonem recipiunt aliis intermistum, utpote propagando paulatim igni aptissimum.

$\vartheta.$ Tædis majoribus constituendis Cera Basin exhibet.

1. Ubique heic, maximè si Vapores proximus corporis superficiei adplicandi, hujusve in ostia intromittendi sunt, cogita & peripheriae bibacitatem (322.9.), & sensibilissimam internorum teneritudinem, & miram denique Ignis vivivim, corporum concretorum principia separantem, mutantem; ut cautus feligas apta scopo, affectis partibus amica, non nocitura aliis. Cinnabaris, movendæ salivæ impar, dum concreta manet, igne resoluta redit in Mercurium. Benzoë, Succinum, &c. concremata an pristinum Benzoinum & Succinum evaprant? Chemiam consule! Disces alia.

2. Prostant sæpe in Officinis jam parati Suffitus formæ ferè cujuscunque. His igitur, si scopo respondent, utenti nova compositione supersedere licet; quum diu satis incorrupti perstent, imo tantillo Liquidi idonei, aromatici (γ.), intermisso aut illito adpropriari queant.

λ. Numerus Ingredientium ingens sæpe heic congeritur. Concinna tamen brevitas ubique laudanda (29.).

397. ORDO, qualis in Pulvere & Trochiscis internis (112. 176.), heic obtinet.

398. DOSIS, in variis varia, rarissime Pondere, sæpe Numero aut Mensura, determinatur. Pulverum (395.α.) Drach. j. ij. Pugill. j. ij. prunis injici jubentur. Nicotianæ (ibid.) Dosis limitat coni Fistulæ

Tabacariæ capacitas. Trochiscorum, Candelarum, Avicularum (ibid. β .), No. j. ij. iij. prunis imponuntur vel accenduntur. Baculi (ibid.), quantitate incertâ, fornaci adfricantur. Tædæ incendendæ numero & tempore determinari possunt.

399. QUANTITAS GENERALIS ex usu diutius, brevius, continuando, saepius aut rarius iterando, colligitur. Quæ molestiorum exigunt subactionem, formationem, uti sunt pleraque Formæ posterioris (395. β .), vix infra Lib. β . simul praescribito; nisi cum Officinalibus uteris (396. α .). Confer. (180.)

400. PROPORTIO mutua Ingredientium ex Indicatione Medici, virtute & pretio Materiæ, tum Forma expetita (395.), cognoscitur, collatis ante dictis (87. ad 92. 115. 181. 303. 396.).

α . Efficaciora, Cariora, ad utramque Formam (395. α . β .) plerumque minore ad reliqua proportione recipiuntur. Idem de Liquidis (396. γ .) obtinet.

β . Tabaci Folia, pro conficienda Nicotiana Medicata (395. α .), triplo, quadruplo, sextuplo, & ultra, cæteris copiosiora capi solent.

γ . Glutinantis (396. ϵ .) ad Trochiscos, Candelas, &c. (395. β .), q. s. praescribitur: Ceræ ad Tædas (396. ϑ .), dupla, tripla, reliquorum quantitas.

δ. Carbonis (396. n.) itidem q. s. aut æqualis vel dupla reliquorum quantitas ferè sumitur. Simili penè modo & Sacchari (ibid. ζ.) Proportio se habet.

401. SUBSCRIPTIO mandat Comminutionem *grossō modo*, Miftionem, &c. ut *F. Pulvis pro Suffitu*, *Nicotiana medicata*: Subactionem cum Glutinante, ut *F. Trochisci*, *Baculi*, *Aviculæ Cypriæ*, *Tædæ*, &c. Neque cæterum Moles horum aut pondere aut mensurâ determinari solet. Ubi Officinalia præstituuntur (396. n.), patet, non opus esse Subscriptione, nisi forte Liquidi intermistio aut illitus commendandus. Addi potest. *D. ad Chartam*, *Scatulam*, &c.

402. SIGNATURA ex (60. 393. 395. 398.) facile intelligitur. Nota

α. Formas omnes (395. α. β.) sæpiissime tantum Atmospæræ corrigendæ gratia adhiberi; & Baculos quidem, Candelas, Aviculas Cyprias, Tædas, non nisi huic servire scopo; at Pulveres & Trochiscos etiam vaporando proximiùs corpori. Prior igitur usus cum delicias modò aut Prophylaxin plerumque spectet, vix exactius regimen requirit.

β. Si vaporandum corpus, pleraque (390. β, γ.) memorata heic quoque obtinent. Vapores tamen accensione semper (393.) excutiuntur. Quandoque Subuculæ, Cuculli, Sacculi (340. β. 2.), fumigantur prius,

quam corpori adplicantur. Alias & Panni
lanei, linei, Vapore sicco imbuti, foven-
dis aut fricandis partibus inserviunt.

403. Usus, passim jam indicatus, Volu-
ptati, Prophylaxi, tum Therapiæ aptus,
roborando, calefaciendo, discutiendo, sic-
cando, præstat plurimum. Sunt &, qui-
bus Cinnabarinī Suffitus ad Venerea placent;
licet haud satis tutò ubique (396. a. i.). Nec
tenero Pulmoni admodum convenire putem
adustos acrium Vapores (ibid. i.).

404. SPECIMINA sunt.

* * *

Suffitus Antiloimicus.

R. Myrrh.

Flor. Sulphur.

Nitri ana unc. j.

M. F. Pulvis grossus.

S. Hujus Pugill. aliquot in prunas inspersis
vaporentur Cubicula aut Ædes.

* * *

Suffitus, Roborans, Discutiens, ad Hy-
drocelem.

Vide H. Bœrh. Mat. Med. p. 212.

R. Benzoin.

Oliban.

Sarcocollæ.

Resin. Guajac. ana unc. 5.

Camphoræ. drach. 5.

Masticæ. unc. j.

Salis Ammoniac. scrup. ij.

M. F. Pulvis.

S. *Hujus incensi vapor excipiatur nudo Scroto, dein panni lanei fumo hoc vaporosi, calidi, superapplicentur.*

* * *

Nicotiana Suaveolens, Cephalica.

R. *Herb. siccata. Salviæ.*

Majoran. ana m. 5.

Thymi.

Flor. siccata. Lilio. Convall.

Rosar. ana pug. ij.

Cort. Cascarill.

Cinnamom. ana scrup. j.

Comminutis crassiuscule admisce

Fol. Nicotianæ consciſor. unc. iv.

Tum conferge tantillo *Essent. Ambar.*

D.

S. Ut in Fronte. *Sugatur fumus mane, per dimidiam aut integrum horam, ex Fistula tabacaria.*

* * *

Suffumigium Anti-Rachiticum.

Vid. H. Bœrh. Mat. Med. p. 255.

R. *Benzoin.*

Masticæ.

Succin. ana unc. j.

Lign. Aloës.

Cort. Cinnam. ana drach. ij.

Caryophyll. arom. drach. j.

Contusa, mista, cum *Terebinth. Venet.*

q. s. redigantur in Trochiscos. D.
ad Scatulam.

S. *Trochisci pro Suffitu, quorum aliquot pronis injiciantur, dum ante ignem sedet infans nudatis inferioribus. Pannis etiam laneis, siccis, horum fumo imbutis, fricetur Spina Dorſi, Abdomen, &c. manè & vespri.*

Baculi Suaveolentes ad Fornacem.

Rx. *Ladan.*

Styrac. calam.

Benzoin. ana unc. j.

Bals. Tolutan. unc. 3.

Pulv. Rad. Irid. Flor.

Cort. Cascarill. ana drach. iiij.

Ol. Lign. Rhod. gutt. xx.

Cum q. s. *Mucilag. Gum. Tragacanth.*

Aq. Rosar. extract. F. Massa, quæ formetur in Baculos instar Ceræ Sigillaris.

D.

S. *Fornaci aut testæ calidæ adfricetur parum Baculus ad discutiendam Mephitim.*

* * *

Aviculæ Cypriæ.

Rx. *Oliban.*

Masticæ.

Benzoin.

Cort. Thymiam. ana unc. j.

Baccar. Jupiter. unc. 3.

Caryophyll. arom. drach. ij.

Sacchar. alb. unc. iv.

Carbon. Salicis. lib. j.

F. omnium Pulvis subtilissimus, qui cum *Mucilag. Gumm. Tragacanth. in Aq. Rosar. factæ q. s. subigatur & effingatur in Aviculas vel Candelas.*

S. *Duæ, tres, &c. accensæ reponantur in loco odore grato inficiendo.*

* * *

Tædæ Odoratæ.

Rx. *Easdem vel Similes Species Formulæ præced. exceptis Saccharo & Carbon.*

Ceræ flavæ duplum ad p. o.

Concorponentur & formentur in Tædas minores vel majores.

S. *Ardeant hæ ad delicias aut ad Propylaxin in locis infectis.*

Nota. *Huc & referri potest Clyisma ex Fumo Nicotianæ, usus satis noti, singulare artificium in præscribendo non exigens. Quin Cassoleta etiam P. Morelli Meth. Præscr. Form. p. 291. ex hac tenus dictis facile intelligitur.*

De Emplastro.

405. **E**MPLASTRUM est Medicamentum externum, in frigore solidum, haud tamen friabile, calore liquefcens, ductile, glutinosum, ex Oleosa Materie maximè pa-

ratum, quod, idoneo super Vehiculo extensem, partibus corporis externis varios in usus imponitur. Vocatur id *Dropax* seu *Picatio*, ubi Picem pro Basi habet; *Sparadrupum*, *Tela Emplastica*, si Vehiculum eo utrinque obductum est.

406. MATERIES ejus vel *Excipiens* est vel *Excipienda*.

α. *Excipiens*, in genere Oleosa, pinguis, tenax, vel est (1.) Liquida: ut Olea pressa, infusa, cocta. Vel (2.) spissior, sequax: ut Pinguedines, Medullæ, Butyrum, Mel, Unguenta Officinalia, &c. Vel (3) Tencior, glutinosa: ut Terebinthina, &c. Vel (4) Durior in frigore, sicca, cohærens: ut Cera, Resinæ, Gummi, Gummi-resinæ, Emplastra Officinalia, &c.

β. *Excipienda* iterum vel (1) Liquida est: ut Liquores aquosi, Mucilagines, Decocta, Infusa, Succi pressi, Olea Aromaticæ, pressa, stillatitia, Balsama liquida, nativa, artefacta, Tincturæ, Spiritus, Vinum, Acetum, Fel, & similia. Vel (2.) Spissa: ut Succidensi, Extracta, Sapo, Amalgamata, &c. Vel (3.) Sicca pulverulenta: ut Calces Metallicæ, Pulveres Vegetantium, Animantium, Fosfilium &c.

407. DELECTUS ut ex arte fiat, Indicatio Medici, Materiæ aptæ (406.) natura, & Emplasti Dotes (405.), requiruntur cognitæ. Hinc scito

α. Lau-

α. Laudari in Emplastro (1.) Consistetiam in frigore siccum, digitos non inquinantem. (2.) Ductilitatem sequacem in leni calore, ac Mollitatem. (3.) Lentam Tencitatem; ut Vehiculo & Parti facile adhaerescat. (4.) Mixtionem Ingredientium homogeneam.

β. Dos prior (*α. 1.*) pendet a Materie (406. *α. 4. β. 3.*): alteram (*α. 2.*) efficit Excipiens (406. *α. 1. 2.*): tertiam (*α. 3.*) Terebinthina & Gummoso-Resinosa (406. *α. 3. 4.*): postremam (*α. 4.*) producit artificiosa omnium concorporatio.

γ. Excipiendo (406. *β.*) haud ubique opus: Excipientium enim species (*ibid. α.*), arte junctae, Emplastrum præbent optimum. Sola Cera & Terebinthina, proportione aptâ colliquatæ, absque aliis, omnes Emplastri dotes (*α.*) exhibent.

δ. Oleum (406. *α. 1.*), vel huic analoga (*ibid. 2.*), tum Terebinthina & Cera (*ibid. 3. 4.*), plurimorum Emplastrorum Basin constituunt: Ceræ tamen & Terebinthinæ Pix aliquando, Resinæ, Gummi-Resinæ, substituuntur.

ε. Quin sola etiam Pix, aut Gummi-Resinæ, pistillo calido diductæ, aut Oleo Spirituue apto emollitæ, pro Emplastro sunt.

ζ. Oleum quoque solum, cum Calce Saturnina, Lithargyrio v. g. Minio, Cerussa, sat diu coctum, in Emplastrum abit,

n. Liquida Aquosa (406. β . 1.), quorum in volatili principio virtus hæret, ne receperis: necessaria enim heic humoris aquei per cocturam diffratio simul & vim dissipat.

o. Vegetantium partes specificè leviores, & vi per magnum volumen diffusa præditæ, vix aptæ, quæ pulveris specie huc ingrediantur. Harumce Succum, Decoctum, Infusum, Oleum, Extractum, rectius adhibueris.

p. Salia, præterquam Metallica quædam, ut Saccharum Saturni, &c. rarius heic in usu sunt; quum vel ægrè misceantur, vel sub mixtione pereant volatilia, vel vi emplasticâ aliorum enerventur, vel deliquio noceant.

q. Qui accedunt Pulveres (406. β . 3.), vel solubiles sint oportet, vel tenuissimi, ut æquabilissimè interteri queant (α . 4. β .).

r. Hinc & Extracta, Succidensi, Gummi-Resinæ, & similia, nisi vel colliquari cum aliis, vel in Pulverem comminui possint, apto prius Menstruo, Aceto, Vino, Oleo, Terebinthina, Vitello Ovi, &c. solvuntur.

s. Quandoque Vegetantia aut Animantia, quorum virtus in Emplastro desideratur, cum Vino prius, Aceto, Oleo, Axun-gia infunduntur, decoquuntur, friguntur; ut colatus, expressus, Liquor dein, cum aliis, in formam Emplastri cogatur.

v. Argentum vivum si recipitur, Terebinthina id vel Axungia figendum prius, aut Menstruo apto solvendum.

ξ. Prostat autem satis plerumque ingens Emplastrorum Officinalium numerus, Magistrali ut compositione, saltem diffusiore, vix opus sit. Unde usitatissimè Officinale modo præscribitur solum, aut plura simul, idonei ope Olei, Spiritus, Tincturæ, Elixiris, &c. emollienda, subigenda. Alias & loco Basis inserviunt, cui reliqua scopo adcommodata, Pulveres, Gummi, Resinæ, Succi, &c. interventu Excipientis (406. a. 1. 2. 3.), admiscentur. Sic præparationis opera & tempus compendifieri, error vitari facile potest.

o. Numerus Ingredientium parcior heic, ut ubique, laudabilis. Compendio (ξ.) qui utitur, pauca scribendo complecti poterit plurima.

408. ORDO, licet sæpius a quantitate defumatur (57. γ.), Excipientium illis, quæ q. s. præscribuntur, ultimò locatis (ibid. ξ.), is tamen optimus videtur, qui præparationis ordini maximè respondet. Excipientia hinc & Excipienda; quæ coctione concorporari debent, aliis præēant: sequuntur, quæ sola egent colliquatione; tum quæ massæ ab igne remotæ demum anniscenda, Pulverulenta, Volatilia, &c. At nec

scrupulosa accuratione opus est, ubi de Pharmacopæi dexteritate constat.

409. **DOSIS & QUANTITAS GENERALIS** heic plerumque æquales sunt; quia raro plures Doses simul præscribuntur. Partis tegendæ, aut Vehiculi oblinendi, magnitudo consideranda. Quum verò ætas varia, habitus corporis obesior, tenuior, &c. plurimum differentiæ faciant, generalis limes figi heic nequit: unde, si Compositione utimur Officinali, aut Magistrali simpliiore (407. γ. ε. ξ.), saltem q. s. præstituire expedit, determinata interim parte, quæ Emplastro tegi, aut magnitudine Vehiculi, quo super extendi id debet. Compositio Magistralis prolixior quantitate parcâ haud præscribatur. Si plurium Dosum Quantitas exigitur, usûs frequentiæ & diuturnitatis simul habenda ratio.

410. **PROPORTIO** mutua Ingredientium similibus, ac Delectus (407.), limitatur conditionibus, tum vario consistentiæ Emplasti gradu. Nota enim

α. Pro diverso Emplasti usu triplicem obtinere Spissitatis gradum; Molliorem nempe ad Cerata accedentem; Medium; Duriorum. Emollientibus, altùm penetraturis, ad mobiles partium flexuras applicandis, Sparadrapis (405.), prior magis convenit: Exsiccantibus, Adstringentibus, Firmantibus, &c. bini posteriores.

$\beta.$ Proportio hinc pro variâ spissitate ($\alpha.$) ita ferè determinatur, ut sit pro

Molli	Olei unc. j.	Cera	unc. j.	Pulver.	unc. $\beta.$
Mediâ			unc. iij		dr. vi.
Duriore			unc. ij.		unc. j.

$\gamma.$ Oleo autem analoga habetur Materies pinguis, spissa, (406. $\alpha.$ 2. 3.): Ceræ ad finia reliqua (ibid. 4.) recensita. Pulverum quoque defectus plure Cerâ aut huic analogo suppleri potest.

$\delta.$ Pulverum tamen pondus specificum & singularis indoles ratione Oleosorum simul adtendenda. Fossilia ponderosiora minus plerumque spissant levioribus. Calces Saturninæ plurimum Olei aut Pinguedinis imbibunt.

$\varepsilon.$ Liquorum Aquosorum (406. $\beta.$ 1.) Proportionem suo ex scopo figit Medicus: quum enim coctio plurimum difflet; reliquorum inter se Proportio fere manet eadem.

$\zeta.$ Succi spissi, &c. (406. $\beta.$ 2.) ut vel Ceræ vel Axungiæ densitati propiores sunt, huic illive adnumerantur ($\gamma.$): quamvis restricta saltem quantitate addi soleant.

$\eta.$ Ceram albam si adhibes, cum flavâ fragilior sit, Proportio ejus paullum immunuenda. At flavæ usus heic ferè frequenter.

$\vartheta.$ Memento & frigore densari corpora magis; ut Hyeme Mollium (406. $\alpha.$ 1. 2.

3.), Aestate Duriorum (ibid. 4.) augeas quantitatem.

1. Quæ emolitioni inserviunt (407. ε. ξ.), aut solutioni (ibid. λ.), q. s. præscribuntur.

2. Est & usitatissimum, Olei & Ceræ, vel his ad finium (γ.), utriusque aut alterius quantitatem Pharmacopœi peritiæ relinquere determinandam: quâ viâ commode evitatur error.

λ. Sic quoque Emplastro Officinali si jungenere voles alia scopo magis apta (407. ξ.), horum consistentiæ gnarus facile videris, liquido, molli, tenace, an duro insuper opus sit Accessorio, cuius q. s. addendum.

411. SUBSCRIPTIO præcipit,

α. *Massæ Emplasticæ Præparationem.* Hæc fit vel (1.) Emolitione, lenis caloris aut Menstrui adminiculo obtainendâ (407. ε. ξ.); quod *Maxare* vocant. Vel (2.) Colliquatione; sicubi Materies igne fundi, & fusaritè inser se coire potest, nec nisi Pulveribus intertritis, aliisve facile solubilibus, misceri debet. Tel (3.) Coctione etiam accedente; quæ requiritur, cum vel humor aqueus est difflandus (406. β. I.), vell vis medicata fixior e Vegetantibus præprioris extrahenda, rejectis partibus solidis, vel Calces Metallicæ, præsertim Saturninæ, intimius dissolvendæ. Ordinem & Encheireses, quæ ad legitimam Præparacionem pertinent, heic prætereo, tum ob

(7. γ. 8.), tum quia industriæ Pharmacopœi committuntur. Confer & (408.).

β. Extensionem super Vehiculo, quod pannus est lineus, sericus, goffypinus, aluta, &c. prout superficies contegenda variè mobilis, tenera, magis minusve conspectui patens, Emplastrum diutius, brevius, retinendum, &c. Magnitudo ejus & Figura, itidem pro variis partibus usibusque varia, vel exemplo chartaceo simul transmisso, vel pollicibus, aliave mensura, determinatur, vel parte saltem, cui adplicandum, memoratâ, Pharmacopœi relinquunt peritiæ; quippe cui notum ponitur, Scuti figuram Stomacho, Lunatam Hepati, Ovatam Lieni, Orbiculatam Utero & Umbilico, Oblongo-quadratam Reni, & sic porro, adsignari. Extensio ipsa, pro vulgaribus Emplastris sat nota, pro Sparadrapis (405.) fit, telam vetustate detritam, non laceram tamen, aut Chartam, massæ Emplasticæ liquatae immergendo, undequaque infectam extendendo, refrigeratam lævigando. Extensum Emplastrum quandoque Oleo illinitur, alias conspergitur Pulvisculo; ne vel tenacius adhærescat, vel inquiet. Alii eodem fine Sindone rubrâ, albâ, decussatim *interpassata*, ut vocant, aut peripheriæ adsutâ, totum id aut marginem ejus, qua corporis superficiem continget, obtegunt.

412. SIGNATURA ex (60. 405.) abunde intelligitur.

413. USUS Emplastri multiplex, emolliendo, discutiendo, maturando, detergendo, siccando, roborando, adtrahendo, glutinando, Vulneribus, Ulceribus, Tumoribus, ab aëre defendendis, Turundis, Plumaceolis, Adsperginibus (308.), Vulnerum labiis, Ossibus fractis, &c. conti-nendis, aptus. Psilothra, Rubefacientia, Vesicatoria, hac quoque forma adhibentur. Nec virtus tantum in superficie consistit, sed altius quoque penetrat: ut Aromaticæ, Mercurialia, Opiata, docent. Obstruendo tamen cutis spiracula quibusdam nocens, pruritum, pustulas, Erysipelas, creat.

418. SPECIMINA sunt.

Emplastrum Anodynum, motum sedans, ad Scirrum nec resolutione, nec extirpatione medicabilem.

Vid. H. Bœrh. Mat. Med. p. 109.

R. Succi recent. expressi & puri
Fol. Hyoscyami.

Papaver. hortens.

Pbellandrii. ana unc. iv.

Leni igne coque, inspissa, sub finem admisce

Ceræ albæ. unc. viij.

Ol. infus. Rosar. unc. j.

F. s. a. Emplastrum.

S. Hujus q. s. super Aluta debitæ magnitudinis

& figuræ extensem parti scirrhosæ, prius
Nutrito ibid. descripto oblitæ, adplicetur.

* * *
Emplastrum Dissipans, ad Bubonem Ve-
nereum.

Ibid. p. 248.

Rx. *Flor. Sulphuris.* unc. 3.

Sacchar. Saturn. drach. j.

Picis Sutoriæ. unc. ij.

M. F. s. a. Emplastrum super Aluta ex-
tendum.

S. Adplicetur loco adfecto. Recentetur quo-
vis die.

* * *
Emplastrum Hystericum Sydenhami.

Rx. *Galban.* in *Tinet.* *Castor.* solut. & co-
lat. drach. iiij.

Tacamahac. drach. ij.

M. F. Emplastrum: Extendatur super
Aluta orbiculatâ pro Umbilicali re-
gione.

S. Ut in Fronte. Admoveatur calidum Umbilico.

* * *
Emplastrum Defensivum rubrum.

Vide H. Boerh. Mat. Med. p. 68.

Rx. *Ol. Rosac.*

Ceræ alb. ana unc. vij.

Boli Armen.

Sang. Dracon. ana unc. iij.

Rosar. rubr. pulveris. unc. 3.

Ceræ in Oleo calore leni liquatæ, tum

ab igne remotæ, paullatim intere reliqua subtilissimè pulverisata, jugiter agitando, donec simul refixerint.

S. *Hujus q. s. super Linteamine extensum adplacetur Vulneri ad aërem arcendum & continenda reliqua.*

* * *

Emplastrum roborans, calefaciens, carminans, Stomachicum.

R. *Emplastr. de Baccis Lauri.*

Cumino ana q. s.

Malaxata cum *Balsam. Peruv.* tantillo extende super tela gossypina, scutiformi, tege Sindone rubra decussatim interpassata.

D.

S. *Scutum Stomachicum, quod calidum regioni Ventriculi adponatur, & subinde Balsami Peruviani, aut Olei vel Spiritus Menthæ, tantillo irraretur.*

* * *

Sparadrapum ad Fonticulos.

R. *Emplastr. Diapalm.*

Grat. Dei. ana pt. ij.

Ol. Amygd. dulc. rec. press. pt. j.

Calore leni, sub continua agitatione, colliquatis, tum ab igne remotis, intinge longa Chartæ albæ, satis firmæ, segmina, tres circiter digitos lata; ritè infecta exime, extende,

cultro æqua, suspende, ut sponte
siccescant, tum in segmenta quadra-
ta discinde & exhibe.

S. Chartæ inceratæ pro deligando Fonticulo.

* * *

Sparadrapum Pectorale, emolliens, re-
solvens, ad Tussim a frigore suscepio.

Rx. Unguent. Althaeæ compos. unc. j.

Adipis Gallin. drach. iiij.

Olei press. Sem. Papav. unc. f.

Ceræ citrin. unc. iij.

Simul leni igne liquefactis immisce

Rad. Irid. Florent. subtiliss. pulveris.
drach. j.

Olei express. Nuc. Myrist. scrup. j.

Detentis in fluore immerge telam lineam
veterem magnitudinis & figuræ in
Charta transmissa descriptæ : probè
imbutam extende, læviga, & laxè
convolutam exhibe.

**S. Tela Emplastica, quæ Pectori adponatur ;
tegatur panno laneo, rubro, villoso, aut
pelle Gati.**

* * *

Emplastrum Resolvens, ad Contusa.

Vid. H. Bœrh. Mat. Med. p. 83.

Rx. Rad. Bryon. in farin. redact. unc. ij.

Flor. Sulphur. unc. j.

Mercur. nigri. drach. iiij.

Galbani puri & s. a. foluti. unc. iv.

Emplastr. de Melilotto, unc. ix.

Ol. Chamæmel. q. f.

Ut F. Emplastrum.

S. Hujus q.f. Linteo inductum adplicetur parti contusæ.

Nota. Sunt & Sparadrapi species, quæ ex *Talco*, *Camphora*, *Borace*, *Cera* & *Oleo*, parantur, TELÆ COSMETICÆ, de quibus vde P. Morell. Meth. Praescr. Form. p. 246. Rarò has Magistraliter componendas præscribit Medicus: unde vix adeo hujus sunt loci.

De Cerato.

415. CERATUM, *Cerotum*, *Cerelaeum*, est Emplastrum (405.) mollius, mediae ferè inter Emplastrum & Unguentum spissitatis. Neque enim hodie, ut olim, quæcunque ex Cerâ composita, sive Unguenta, sive Emplastra, Cerata vocamus: unde nec eorundem in Liquidiora & Solidiora divisio locum amplius habet.

416. MATERIES, DELECTUS, ORDO, DOSIS, QUANTITAS GENERALIS, similia heic, ac in Emplastro (406. ad 409.). A Cera & Oleo quidem Nominis (415.) origo est: at neque isthæc adeo constanter hodie huc accedunt, quin sæpe, istis etiam omissis, Materiem præbeant reliqua (406. 407.) enumerata. Rariùs & heic Magistrali utimur Compositione: frequentius Officinali; dum vel Ceratum prostat idoneum, vel, hoc deficiente, Emplastrum Olei ope

ad mollitem Cerati deduci facile potest (407. ξ.).

417. PROPORTIO mutua Ingredientium sola discrepat; quippe quæ talis est, ut Olei unc. j. recipiat. Ceræ unc. f. Pulver. drach. j. iß. pro ponderis specifici varietate: aut &, omisso Pulvere, Ceræ drach. v. Ade tamen

α. Dari & heic aliquam latitudinem; ut Consistentia aliàs paullo mollior, aliàs densior fiat, nec Proportio dicta constantissimè semper teneatur: unde profectum, quod Officinalium quædam, ab aliis Ceratorum ordini adscripta, aliis Unguenta vel Emplastra audiant.

β. Porro, quæ (410. γ ad λ.) dixi, huc etiam applicari possunt.

418. SUBSCRIPTIO & SIGNATURA, mutato saltem nomine (415.), eadem est, quælis (411. 412.). Sparadrapa (411. β.) etiam crebrò inde parantur; quum massæ his convenient molliores (410. α.). Dantur & Cerata quandoque in Fictili aut Vesica, si usui dicantur longiori; ne Vehiculo inducta per moram arescant nimis aut deliquescent. Est quoque ob mollitem facilis eorum extensio.

419. Usus idem, qui Emplastri 413.), & vel hoc etiam frequentior: multoties enim Cerati modò spissitate gaudent, quæ nomine Emplastri præscribuntur. Duri-

ties ejus & tenacitas, quam Emplastri, minor magis id commendat, ubi virtus altius insinuanda (410. a.), partes molles, sensiles, harumve flexuræ, contegendæ, aut noxæ a densioribus timendæ sunt (413.).

420. SPECIMINA funto.

* * *

Ceratum exsiccans, obtundens, Antiphlogisticum, ad Ulcera Tibiarum inveterata.

R. *Cerat. Defensiv. caerul. Pharm. Leid.*
unc. iij. vel q. v.

D. ad Fictile.

S. *Hujus q. s. extensum super Linteo adplicetur Ulcevi, prius puro, siccis, aut idoneo Balsamo imbutis, carptis tecto. Renovetur quovis die semel.*

* * *

Ceratum adtrahens, Emmenagogum.

Vid. H. Bœrh. Mat. Med. p. 214.

R. *Emplastr. Oxycroc.*

de Melilot. ana q. f.

Cum *Ol. Rutæ. q. f.* malaxando in consistentiam Cerati redacta extendantur super Aluta lunata juxta exemplum transmissum. D.

S. *Pubi & Inguinibus adplicetur.*

* * *

Ceratum Resolvens, ad Scirrum Lienis.

R. *Gumm. Ammoniac.*

Galban. ana unc. S.

Dissolvantur *Acet.* *Squillit.* q. s. & cum
Ceræ citrin. unc. $\frac{3}{4}$.
Ol. infus. *Absinth.* q. s.

Leni igne colliquata redigantur in Ceratum, quod super Aluta ovata, instar linguae bubulae, extensum D.

S. Ceratum Spleneticum, Hypochondrio finistro, in regione Splenis adplicandum.

De Unguento.

421. **UNGMENTUM** est Medicamentum externum, Cerato (415.) mollius, Mellis ferè aut Electuarii (138.) consistentia, calore liquecens, ex Pinguibus maximè constans, quod externæ corporis superficie vel illitum, vel Vehiculi interventu adplicatum, vires medicatas exserit.

422. MATERIES in genere eadem heic est, qualis Emplastri vel Cerati (406. 416.).

423. DELECTUM quoque similes (407.) limitant conditiones. Scilicet

α. In Unguento exigitur (1.) Consistentia haud quidem diffluens, at sequax tamen, etiam in frigore, mollis Axungiæ velut æmula. (2) Mollities lubrica, asperitatis expers. (3.) Homogenea ingredientium Miscela. Unde patet, quænam huc apta Materies, quæ Præparatio. Conf. (407. *α.* *β.*).

β. Oleum (406. *α.* 1.), Pingue (ibid. 2.), Terebinthina (ibid. 3.), Cera (ibid. 4.), horumve Analogæ (410. *γ.*, aptâ quan-

titate colliquata, sine accedente alio, in Unguentum abeunt: ut ideo nec heic Excipiendo (406. β.) opus sit, nisi id postulet Indicatio.

γ. Cera, Pix, Resina, Gummi-resina, Emplastrum vel Ceratum Officinale, & similia (406. α. 4.), seorsim singula, aut plura simul, Oleo emollita, pariter Unguentum præbent, absente licet materie (ibid. α. 2. 3. β.).

δ. Quin axungia, Medulla, Butyrum, &c. (406. α. 2.), sola etiam, absque vel Liquidi vel Durioris (ibid. 1. 4.) accessu, Unguenti ferè dotes habent; aut, si paullo mollius id experitur, quod in Magistrali frequens, tantillo saltem egent Olei: si spissius, Ceræ vel Pulveris pauxillo. Terebinthinæ tamen tenacitas (ibid. 3.) divisorem exigit Axungiam, Oleum, vel Vitellum Ovi, ut Unguentum fiat.

ε. Hinc nec Terebinthinæ, nec Ceræ, heic adeo creber usus est, ac in Emplastro (407. δ.). Absunt særissime a Magistrali. Minus etiam convenit Cera altùm penetra-turo.

ζ. Si Liquida aquosa (406. β. 1.) recipere suadet scopus, hæc cum Oleo vel Pingui (406. α. 1. 2.) coquenda, ut aqueus diffletur humor: unde, quod (407. n.) dictum, & heic valet.

η. Longiore tamen tritu Aquosa cum Pinguis

guibus quandoque in Unguentum rediguntur, absque coctura. Docet Rosaceum: docet Nutritum: ut constet, bina etiam Liquida, sine evaporatione, sic posse spissescere: at minus id universale.

¶. Præter Excipienda (406. β. 2.), aliquando & Pulpæ & Electuaria huc adhibentur cum Pingui glutinante permiscenda. Quin tota alias Unguenti massa, Electuario similis, Oleo & Pinguibus caret: ut vide-re est in Aegyptiaco.

ι. Pulveribus excipiendis (406. β. 3.) Oleum quandoque solum, aut Aceto jumentum, sufficit: quod maximè in Saturninis obtinet. Alias vero glutinans insuper spissius (406. α. 2. 3. 4.) requiritur.

κ. Draſtica, inflammantia, rodentia, cautus adhibueris, nec nisi probè fracta lenioribus; ne vel cutem, vel introvecta corpus universum, molestè adfiant.

λ. Quæ mutandis interioribus dicantur, Materie conſtent penetrare apta, nec nimis tenace (ε.).

μ. Heic & consultius est, Compositis uti Officinalibus, sat numerosis, uno, vel pluribus inter se junctis, solis, aut extemporeaneâ aliorum miscelâ scopo facile aptandis. Confer (407. ξ.).

ν. Cæterum quoque diæta (407. Σ. ad ν. ο.) heic locum habent. Salium tamen ut

frequentior, ita Calcium Fossilium parcior, maximè in Magistralibus, usus est.

424. **O R D O** idem, qui in Emplastro (408.).

425. **D O S I S** ex magnitudine partis inungendæ scitur, alia non egens limitatione.

426. **Q U A N T I T A S G E N E R A L I S** eidem conditioni (425.), tum usūs frequentiæ & longitudini aptatur: unde ut unciā quandoque minor, sic alias librâ etiam major requiritur.

427. **P R O P O R T I O** Ingredientium mutua intelligitur ex (410. 417.), collatis ad (421. 423.). **N o t a**

α. Consistentiam heic non adeo fixam esse, quin, pro vario scopo, spissior paullo aut mollier obtineat: prout & Officina lustranti patet. Mollia magis apta partibus teneris, penetrationi, frictioni, &c. Densiora firmius inhærescunt, tardius absorbentur, magis obstipant.

β. Triplicis esse Consistentiæ Materiem huc aptam (422.): Liquidam, Siccam, Medium. Unde ut Ingredientia magis minusve a spissitate Unguenti (421. 423. *α.* 427. *α.*) distant, varianda eorum inter se Proportio.

γ. Mollia (406. *α.* 2. 3.), quacunque ferre Proportione inter se mista, in Unguentum coēunt. Si tamen nimiam metuis den-

sitatem, Olei q. s. adjunge. Terebinthina quid reposcat singulare; vide (423. δ.).

δ. Olei unc. j. cum Ceræ aut hujus analogis (410. γ.) drach. ij. iiij. Unguentum constituit. His si Pulverem (406. β. 3.) addis, Ceram pro rata minue; ut hujus sint drach. ij, illius drach. j. iβ; aut, quantitate Pulveris definita, Ceræ q. s. adde; nisi scias, Pulverem cum Oleo ex se cogi in Unguentum posse (423. ο.): tum enim, Cerâ omis-ſā, augere Pulveris quantitatem ad drach. iiij, quandoque iv, licet.

ε. Patet hinc, quid agendum, ubi dictis (δ.) Mollia (γ.) accedunt: manet quippe Proportio illorum ferè eadem, tanquam si hæc abfuissent.

ζ. Si Nutritum paras ex Oleo & Aceto Plumbi (423. η.); æqualem ferè utriusque quantitatē, aut alterutrius q. s. cape: si ex Oleo, Aceto simplice, & Sale vel Calce Plumbi; priorum ana p. j, posterioris p. β. sufficit.

η. Unguentum Officinale si pro basi est, ex addendorum consistentia (β.) facile noveris, an & quali opus constituente, cuius plerumque q. s. adscribitur. Oleum densitatem, Cera nimiam corrigit mollitem.

θ. Denique huc etiam transfer, quæ dicta (410. γ ad λ.) ; quum & heic valeant. Analogia saltem Olei & Pinguium (406. α. I. 2.) in Unguento minus videtur obtinere.

428. SUBSCRIPTIO, pro vario præparationis modo varia, vel simplicem præcipit Mixtionem, ubi haud opus igne; vel paullatim confusorum Tritum diu protractum, si Pinguibus Aquosa permisceri debent (423. n. 427. ζ.); quæ Nutritio vocatur, ipsumque Unguentum *Nutritum*: vel **Colliquationem**; vel & **Coctionem**; quarum quidem similis ratio, ac in Emplastris (411. α.). Formulam claudit: *F. s. a. Unguentum vel Nutritum. D. ad Fictile.* Rarius super linteo id aut alutâ, Emplastri instar (411. β.), extenditur: quod dum fit, marginem Vehiculi, ad digitî latitudinem in ambitu, Emplastro tenaciore munire aliquando expedit; ut Unguentum calore difluxurum coerceatur.

429. SIGNATURA, præter utendi modum, nil habet singulare. Vel enim linteo aut corio inductum, carptisve, plumaceolis, turundis, putamine nucis Juglandis, &c. exceptum Unguentum parti adplicatur aut immittitur; vel, quod frequentius, calidum, frigidum, Balneo, Lotione, Frictione, quandoque præmissis, illinitur. Cætera, quæ partium delectum, usus frequentiam, longitudinem, Regimen, &c. spectant, Indicatio in casibus singularibus docet. Conf. (328. β. ε. ζ.). In Draſtis, Mercurialibus, Catharticis, &c. adhibendis cautos velim; ne adptione cre-

briore aut longiore Ptyalismos, Hypercatarrhes, aliave mala creēnt.

430. Usus Unguenti Medicis, Chirurgis, frequentissimus, emolliendi, discutendi, maturandi, detergendi, calefaciendo, roborandi, sopiendi, demulcendi, acre corrigendi, &c. virtute pollens, non externa modo, sed penetrabilitate, quam Emplastri aut Cerati, majore interna etiam mutat potentius: ut Mercurialia, Purgantia, Opiata, foris applicata, salivam, alvum movendo, compescendo, monstrant. Intempestivus tamen, & materie minus apte selecta, quandoque etiam nocet fibras laxando nimis, aut oscula cutanea obstruendo (413.), aut validius adficiendo interiora (429.).

431. SPECIMINA funto.

Unguentum Digestivum ad Contusa, attenuans, antisepticum.

Vid. H. Børh. Mat. Med. p. 76.

Rx. *Terebinth.* unc. ij.

Vitell. Ovor. no. j.

Exacte mistis admisce

Unguent. Basilici. unc. ij.

Aloës puræ. drach. iv.

F. f. a. Unguentum.

S. *Hujus tantillum plumaceolis exceptum imponatur loco contuso, tegatur Emplastro de Galbano & Fomento, ibid. descriptis.*

* * *

Unguentum Anodynum, motum Sedans,
Scirrho dolenti aptum.

Ibid. p. 109.

Rx. *Aceti Lithargyrii* unc. j.

Ol. express. Sem. Hyosciami.

Papav. alb.

Rosar. infus. ana drach. ij.

F. s. a. Nutritum, cui sub finem admisce-

Opii puri. gr. vj.

S. Nutritum Pacans, quo leniter inungatur
locus affectus, ac dein tegatur Emplastro ibid.
descripto.

* * *

Unguentum Purgans, Anthelminticum,
pro Infante.

Vide H. Bœrh. Mat. Med. p. 231.

Rx. *Fellis Taurini.*

Aloës pur. ana drach. j.

Unguent. Althææ. unc. j.

M.

S. Hirpus pauxillo inungatur subinde locus:
Umbilici: aut pars dimidia Juglandis mucis pu-
tamine excepta eidem loco adponatur. Cau-
telam heic necessariam vide ibidem.

* * *

Unguentum laxans, mitigans, sopiens,
ad Pleuritidem.

Ibid. p. 150.

Rx. *Unguent. Popul.*

Althææ.

Nutrit. ana unc. j.

M.

F. Unguentum.

S. *Hoc calido latus dolens, ter de die, inungatur, super ponendo dein Fomentum, ante in Histor. Epithematis liquidi p. 232. descriptum.*

Unguentum Emplastrodes, roborans, ca-
lefaciens, Stomachicum, ad Nau-
seam vel Vomitum, a perturbato
Liquidi Nervosi motu ortum.

Rx. *Cerat. Stomach. Galen.*

Theriac. Andromach. ana drach. vj.

Ol. Nuc. Myrist. express. drach. j.

Bals. Peruvian. drach. 3.

M. F. s. a. Unguentum: illinatur Alutæ
scutiformi, cuius margo ad digitæ la-
titudinem obducta sit *Emplastro Mu-*
cagin. aut Meliloti.

S. *Scutum Stomachicum, quod regioni Vn-*
triculi adplicetur.

Nota. *Ex hac Unguentorum Historia in-*
telligitur quoque UNGUENTI POTABILIS
seu BALSAMI VULNERARII INTERNI con-
fectio, cuius usus cæterum ad Electuaria aut
Pilulas (138. 160.) ferè pertinet. BALSAMA
VULNERARIA EXTERNA plerumque ab Un-
guentis haud discrepant: sunt tamen aliquan-
do liquidiora; at vix Magistraliter paran-
tur.

De Balsamo Odorato.

432. **B**ALSAMUM ODORATUM est Unguenti (421.) species, ex Oolidioribus spissiore Pingui exceptis constans, inunctioni serviens, tenuissimo Odoris principio præprimis actuosa. Parum hinc ab Unguento differt.

433. MATERIES eadem ferè, quæ (422.), at limitatior, *Excipit* vel *Excipitur*.

α. *Excipiens* vel (1.) *Primaria* est Pinguis, spissa: ut Oleum Nucis Myrist. expressum, Pinguedo inodora, alba, v. g. Porci, &c. Medulla crurum Vituli, Butyrum, Cera, Unguentum Officinale, Pomatum, Rosatum, Nervinum, &c. Balsamum Odoratum Officinale, Manna; aliquando & Gummi-resinæ. Vel (2.) *Secundaria Oleosa*, liquida: ut Oleum vilius pressum, infusum, coctum, aut & Balsamum nativum, liquidum, Peruvian. v. g. Copaib. &c.

β. *Excipienda* itidem vel (1.) *Primaria* Virtutem respicit, estque Liquida: ut Olea aromatica, stillatitia, pressa, Balsama liquida, nativa, artefacta, Essentiæ, Spiritus, Sal volatile oleosum, &c. Aut Spissa: ut Extracta & Electuaria generosiora, Opii, Croci, Theriaca, Gummi-resinæ, Opium ipsum, Moschus, Zibethum, & similia. Aut Sicca: Aromata v. g. Crocus, Cinnamom. Caryophyll. Benzoë, Castoreum, Ambarum, Succinum, hujus Sal,

&c. Vel (2.) *Secundaria* Colorem conciliat: quo adhibentur Pulveres tenuissimi, Magisteria Alumine excussa, Pigmenta varia, Smaltum, Coccionella, Curcuma, Umbra, Asphaltum, Cinnabaris, Succus Rhamni cathartici, Santalum rubrum, Grana Chermes, Ochra, Bolus Armen. &c.

434. DELECTUM docet, præter dotes (423. $\alpha.$) heic etiam expetitas, scopus: qui cum in eo situs sit, ut halitu penetrante mutatio requisita fiat (432.), Odoris heic potissimum ratio habenda; ne is vel noceat, vel alienis corrumpatur, enervetur. Coloris cura, minus quidem necessaria, at usitata tamen; hinc nec prorsus negligenda. Unde

$\alpha.$ Excipiens Primarium (433. $\alpha.$ 1.) eligitur inodorum, albissimum; ne Excipientium Odores vel Colores mutet. Nucifæ Oleum pressum, ope Spiritus Vini colore & odore privatum, frequentissimi heic usus est; ut ideo & *Corpus pro Balsamo* vocari soleat. Cætera Pinguia (ibid.), ne rancida sint, cavendum: unde & recentissimis, & quandoque aquâ idonea prius lotti, opus. Nec ferè, nisi Cera virginea, alba, heic adhibetur.

$\beta.$ Est tamen, ubi & Olidum præfertur Excipiens; si tale id est, quod Excipiendi vim augere queat: ut sunt Unguenta & Balsama Officinalia, Oleum Nucifæ crudum,

Gummi-resinæ, &c. Horum tunc ea selen-
genda, quæ scopo respondent. Coloris cor-
rectio facilis per (433. β. 2.).

γ. Cera sola rarius excipit; quum plure
såltem Oleo fatis mollescat. Crebrius co-
gendis tantum Pinguibus mollioribus (ibid.
α. 1.) restrictâ quantitate, infervit.

δ. Excipiente Secundario (ibid. α. 2.) haud
ubique opus: massæ justò major spissitas id
modo exigit. Eligitur autem vel odoris ex-
pers, vel reliquis virtute congruens.

ε. Excipienda Primaria (ibid. β. 1.) requi-
runtur scopo apta (432. 434.), inter se con-
venientia, parvâ mole efficacia, tum Excipi-
enti æquabiliter miscibilia. Quare eo-
rum maximè, quæ Spiritu Rectore gaudent
agiliore, & vel Oleosæ sunt naturæ, vel
Oleo facile nubunt, frequens heic usus.
Olea infusa, cocta, vix nisi fine diēto (δ.),
huc accedunt. Sicca, si quæ adhibentur,
minus solubilia, tenuissimum in Pulverem
redigere expedit.

ζ. Nec tamen sola locum heic habent sua-
veolentia: habent & Fœtida quandoque: ut
ex recensitis (433. β.) patet. Unde Moscho,
Zibetho, Ambaro, haud ubique opus: imò
satius plerumque isthæc omittuntur, inju-
cunda quippe plurimis, aliis & nociva.
Confer. (85. 100.).

η. Pigmenta (433. β. 2.) ferè adcommo-
dantur colori Basis, a qua nomen Balsami,

vel ideæ virtutis, quam id exseret, aut Morbi, cui opponitur. Hinc Balsamo Rutæ v.g. viridis, Succini flavus, Rosarum ruber, Cardiaco latus, Ant-apoplectico, Ant-epileptico tristis, aquilus, niger, conciliatur color. At neque hoc fuso semper opus.

9. Cave autem, ne Pigmentis utaris acribus, litu nocituris. Pulvis aut Magisterium ejusdem corporis, e quo petita Basis, plenumque commodum præbent. Tale cum deest, aliorum (433. B. 2.) copia suppetit.

10. Heic quoque Balsama Officinalia, si quæ prostant scopo idonea, vel sola, vel accessu aliorum magis aptata adhibendo, operosa compositione supersedere licet, (407. ξ.).

11. Numerus ingredientium, uti (407. o.) laudatur.

435. ORDO, qualis in Emplastro (408.).

436. DOSIS heic parcior, nunquam certò limitata, numerum & magnitudinem partium ungendarum sequitur.

437. QUANTITAS GENERALIS, ob Dosis (436.) parvitatem, rarissimè unciâ iß, major, saepius drachmas aliquot saltem æquat, pro varietate conditionum (426. 436.): imò vel minor etiam præscribi potest, si Officinale compositum adhibetur (434. l.).

438. PROPORTIO mutua Ingredientium ex (427.) facile intelligitur; modò & Exci-

pientium vel Excipiendorum, tum Balsami conficiendi, nota sit consistentia. Scito hinc

α. Unguento (421. 423. *α.*) plerumque paulò spissius esse Balsamum; quandoque tamen & illi simile; imò vel liquidius etiam; ut Linimento proprius videatur. Diutius adservanda, in perā circumgestanda, Deliciis inservitura, &c. ferè duriora fiunt: in iis, quorum adfrictu promptissima requiriatur actio, tenuitas major amatur.

β. Excipientis ideo & Excipiendi Proportionem haud constantem obtinere; usitatus tamen ita figi, ut sint v. g.

Corporis pro Balsamo (434. <i>α.</i>)	- - unc. j.
Excipiendi	Liquidi - - drach. j.ij.ij.
Primarii (434. <i>β. 1.</i>)	Spissi & Sicci drach. <i>β.</i> j.ij.
Secundarii (ibid. 2.)	- - - quant. suff.

γ. Patet hinc, si Excipiens Oleo Nucistæ fuerit mollius, minuendam esse pro rata Liquidi, augendam Spissi vel Sicci excipiendi quantitatem; nisi forte liquidius volueris Balsamum (*α.*).

δ. Solet etiam Ceræ drachma mollioris Excipientis v. g. Axungiæ aut Unguenti unciae addi (434. *γ.*); ut obtineatur consistentia Corporis pro Balsamo (*β.*) æmula, manente tunc eadem Excipiendorum Proportione (ibid.).

ε. Cera sola si excipit (434. *γ.*), duplo Liquidi Oleosi opus est, ut rite emolliatur. Si vero & Siccum insuper accedit, hoc pro

Cerâ habendum. Unde tum Excipiens Secundarium (433.α.2.434.δ.) præcipuè ex usu est; ne pretiosorum aut acriorum copia major requiratur. Ejus ergo q. f. addi potest.

ζ. Ex Balsamis Officinalibus (434.ι.) si componis, respectu consistentiæ Proportio qualiscunque valet. Scopus ergo solus limites tunc ponit. Si vero his alia etiam misces, ex hactenus (α ad ζ.) dictis facile videris, qua Proportione utendum, aut quod constituens adhibendum, ubi majoris minorisve spissitatis metus est. Confer (427.η.).

η. Sæpiissime autem sola excipiendi quantitate determinata, Excipientis modò q. s. adscribitur, aut duorum Excipientium alterutrum saltem certo pondere præstituitur. Imò quandoque, Excipientis pondere definito, Excipiendi quantitas arbitrio relinquitur Pharmacopœi.

δ. Cæterum conferantur dicta (410.427.).

439. SUBSCRIPTIO est: *F. f. a. Balsamum D. in Pyxide Stannea, Plumbea, Eburnea, Lignea, vel Fictili.* Aliquando cavo valvæ putaminis nucis Juglandis indendum jubar; ut Umbilico imponi queat. Conisciendi modus plerumque Pharmacopœi creditur dexteritati.

440. SIGNATURA, præter Nomen a Basí aut Virtute petitum (434.η.), Adplicationem memorat, quæ, similis ferè Unguentorum (429.), adlinendo plerumque aut in-

fricando fit. Rarius Balsamum, vehiculo exceptum, parti tantum imponitur (439.). Loca sensiliora, aut nudioribus majoribusque perreptata vasis, Nares v. g. Tempora, Vertex, Carpi, Præcordia, &c. ut plurimum apta censentur, quibus hoc medicamen admoveatur.

441. Usus rarer, saepe ad delicias saltem destinatus, quandoque tamen & Nervorum affectibus, Epilepsiae, Apoplexiæ, Vertigini, Leipothymiae, Spasmodis, Hystericis, Hypochondriacis, Doloribus, Flatibus, &c. stimulando, sopiendo, motum mutando, aliave virtute singulari agendo, opem fert. Suader autem & heic prudenter mira principii odoriferi agilitas, & minus aliquando a priori cognoscenda actio in corporis nostri subtilissima.

442. SPECIMINA sunt.

* * *

Balsamum fragrans, Cardiacum.

Rx. Corp. pro Bals. unc. 3.

Ol. stillat. Cinnam. ver. scrup. j.

Bals. Peruvian. scrup. 3.

Ambar. grif. gr. ij.

Mosch. Orient. gr. j.

Bol. Armen. q. f.

M. F. f. a. Balsamum.

S. Balsamum Cinnamomi, naribus, carpis, &c. infricandum. Ambaro & Moscho exclusis idem fieri potest universalius.

* * *

Balsamum excitans, Antapoplecticum.

Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 177.

Rx. *Ol. stillat. Rorismar.*

Tanacet.

Lavand.

Rutæ.

Absinth. ana gutt. iv.

Infus. Castor. drach. j.

Unguent. Nervin. unc. j.

Sal volat. oleof. drach. j.

M. F. s. a. Balsamus.

S. *Pro Suffitu sub naribus & circa tempora adfricetur.*

* * *

Balsamum Succini, Anticatarrhale.

Rx. *Olei Nucif. express. drach. ij.*

Stillat. Succin. alb. drach. j.

Sal. Succin. volat. scrup. j.

Ceræ flavæ q. f.

Colliquatis, cum *Rad. Curcum. pulv. q. f.*

tinctis, F. s. a. Balsamum.

S. *Balsamum Cephalicum, vertici, temporibus, pone aures, adfricandum.*

* * *

Balsamum Hystericum.

Rx. *Sev. Hircin. unc. f.*

Galban. pur. drach. j.

As. fætidæ.

Castorei. ana scrup. j.

Ol. stillat. Succin.

*Corn. Cerv. rectif. ana
gutt. xxv.*

Sal. volat. Corn. Cerv. scrup. f.

Ol. infus. Rutæ. q. f.

Ut F. f. a. Balsamus.

S. In Languore aut Paroxysmo illinatur nari-
bus, temporibus, &c.

* * *
Balsamum Carminans, Stomachicum, ca-
lefaciens.

R. *Balsam. Caryophyll. arom.*

Tberiac. Andromach. ana drach. iij.

Ol. stillat. Macis. scrup. j.

Ceræ alb. q. f.

Ut F. f. a. Balsamum.

S. Ut in fronte. Illinatur regioni Epigastricæ
& Umbilico: tum Operculum figulinum pro-
bè calidum, aut Scutum Stomachicum, ad-
moveatur.

* * *
Balsamum Suaveolens, ad delicias.

R. *Unguent. Pomat. unc. j.*

Ceræ albiss. drach. j.

Ol. stillat. Cort. Citri. drach. f.

Aurant.

Melissæ. ana gutt. xij.

Cinnam. gutt. vj.

Ochræ vel Rad. Curcum pulver. q. f.

Ut F. f. a. Balsamum.

S. *Balsamum Citri. Sit pro Odoramento. Eo*

&c.

& Capilli inungi possunt, aut his pectendis adhiberi Pecten eo imbutus.

De Linimento.

443. LINIMENTUM, *Litus*, est Unguentum (321.) mollius, mediae ferè inter Oleum & Unguentum Spissitatis, illitu efficax. Unde vix, nisi consistentiâ, ab Unguento discrepat; & ne hac quidem semper: ut mox patebit.

444. MATERIE id in genere eâdem gaudet, qua Emplastrum, Ceratum, Unguentum, Balsamum (406. 416. 422. 433.).

445. DELECTUS tamen ex parte alius est, ob Consistentiæ diversitatem (443.). Nam

α. Mollities quidem lubrica, & mixtio æquabilis, similiter heic, ut in Unguento (423. α. 2. 3.), exiguntur: at spissitatis adeo vagisunt limites, ut non modo medii omnes inter Oleum & Unguentum gradus, sed vel ipsa etiam Olei tenuitas, densitasve Unguenti, quandoque in Litu admittantur.

β. Hinc sola nonnunquam Olea pressa, infusa, cocta, stillatitia, Materiem præbent, spissiore nullo accedente.

γ. Alias & Oleis tantùm permiscentur Liquida Aquosa, Spirituosa (406. β. 1.), diuturno tritu, aut coctione aquam dissipante, conjungenda.

δ. Quin ex sola etiam Materie Spissâ, Unguentiformi (406. α. 2.), v. g. Pingue-

dinibus, Unguentis Officinalibus, &c. inter se mistis, absque accessu Liquidi, quandoque paratur Litus, vero Unguento similis.

e. Frequentius tamen ex Materie (d.) & Oleis majorem dantibus mollitiem.

ζ. Sed & Olea cum Materie solidiore (406. α. 4. β. 2.) in Litum abeunt.

n. Pulvis etiam (406. β. 3.) Oleo soli, aut cum aliis Liquidis remixto (γ.), tritu vel coctione junctus, nonnunquam loco Linimenti est.

δ. Unde patet Formulæ molem amanti, ex Liquidis (406. α. 1. β. 1.), Spissis (ibid. α. 2. 3. β. 2.), Siccis (ibid. α. 4. β. 3.), iusta inter se proportione junctis, enasci Litum posse: quanquam concinna brevitas & heic laudetur (29.)

i. Intermedio Sapone aliquando opus est, ubi Oleis Aquea tritu misceri debent; ne mora divortium creët. Vitellus Ovi, Mel, Sapo, Alcali, &c. eò conferunt.

z. Tandem & dicta (423. ε. ad v.) huc transferri velim.

446. ORDO Similis, ac in Emplastro (308.), heic laudatur.

447. DOSIS & QUANTITAS GENERALIS eadem sunt, quæ Unguenti (425. 426.). Quum tamen facilis sœpe sit Linimenti solam per miscelam præparatio, majorque tenuitas vel secessum ingredientium vel virtu-

tis dissipationem faciat promptiorem, parciōr plerumque simul præstituitur quantitas, vix unc. iij. vel iv. excedens.

448. PROPORTIO mutua Ingredientium, ob Consistentiæ varietatem (445. α.), admodum vaga est: ut ideo sola sæpe Materiæ virtus limites heic ponat. Nota hinc

α. Vix peccari posse excessu tenuitatis; at omnino spissitatis; quippe quā nimia & illitus & penetratio redditur difficilior.

β. Si Olea sola Materiem præbent (445. β.), consistentia qualemcunque admittit Proportionem. Vide tamen, ne acria, inflammantia, nimis dominantur: unde hæc fere triplo aut quadruplo blandiorum temperare expedit.

γ. Si Oleis alia jungis Liquida tritu permiscenda (445. γ.), juxta regulam (427. ζ.) procedere licet; nisi cum Spirituosa fuerint aut acriora, salina, &c. His parcios quandoque utendum; ne lædant minus diluta.

δ. Si Oleis Aquea misces coctione diffunda, idem obtinet, quod (410. ε.) dictum.

ε. Si Materie mediâ, solâ (445. δ.), utesris, perinde est, ac (β.). At scito alia aliis densiora esse; ut caveas nimiam spissitatem (α.).

ζ. Si, juxta (445. ε.), Materiæ mediæ drach. ij. iiij. iv, ut variè densa est, admisces

Olei unc. j. mediocris consistentiæ (443.),
Litum habebis.

n. Similis acquiritur ex Olei unc. j. & Materiæ solidioris drach. j. (445. *z.*): quod ipsum & circa speciem (ibid. *n.*) obtinet.

S. Olei demum unc. j. Materiæ mediæ drach. ij. siccae drach. *S.* dabunt exemplum compositionis (445. *S.*).

t. Cæterum repetet dicta (410. 427. 438.), quorum plurima & heic valent. Adde (445. *a.*).

449. SUBSCRIPTIO, nomine mutato (443.), ratione modi præparandi eadem est, quæ Unguenti (428.). Quandoque, loco Fictilis, in Vitro datur Litus, ubi tenuior is est, aut virtute volatili gaudet. Extensio super Vehiculo heic vix obtinet; Pharmacopœo saltem haud committitur.

450. SIGNATURA itidem ex (429.) patet. Adplicatio ferè semper illitu perficitur, accedente quandoque Frictione. Si Vesica Linimento humectata parti adponitur, Epithema id potius dixero (320.).

451. Usus similis Unguenti (430.); quin promptior etiam penetratio.

452. SPECIMINA funto.

Litus Balsamicus, ^{*} Anodynus, ad Papillarum dolores, &c.

Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 221.

R. Ol. Amygdal. dulc.

Infusi Hyperici.

Violar.

Rosar. ana unc. fl.

M. F. Linimentum. D. in Vitro.

S. Hujus tantillo subinde oblinatur pars affecta.

* * *

Linimentum Stomachicum, carminans,
calefaciens.

Rx. *Ol. infus. Absinth.*

Crocin. ana unc. fl.

Stillat. Menth. drach. j.

Caryophyll. gutt. x.

Bals. Peruvian. scrup. j.

M. F. Linimentum. D. in Vitro.

S. Serviat pro inunctione regionis Ventriculi
& Umbilici.

* * *

Litus leniens, emolliens, in Dentitione
difficili.

Rx. *Mucilagin. Sem. Cydonior. cum Aq.*

Rosar. extract.

Ol. Amygd. dulc. rec. press.

Vitell. Ovor. ana unc. fl.

Exactè mistis F. Linimentum. D. ad
Fictile.

S. Gingivæ dolentes eo subinde demulceantur.

* * *

Linimentum Purgans, Antihelminticum,
pro Infante.

Vid. H. Bœrh. Mat. Med. p. 231.

Rx. *Unguent. Agripp.*

Arthanit. ana unc. j.

M. F. Linimentum.

S. *Hujus pauxillo inungatur subinde locus Umbilici.*

* * *

Linimentum Emmenagogum. Ad Exemplum

Ibid. p. 215. 216.

Rx. *Sagapen. unc. β.*

Axung. Caſtor. drach. ij.

Cum *Ol. infus. Rut. q. s. dissolutis admisce*

Ol. ſtillat. Sabin. drach. ij.

Bacc. Juniper. drach. j.

M. F. Linimentum.

S. *Umbilico, Pubi, Inguinibus illinatur mane & vespri.*

* * *

Linimentum Antiparalyticum.

Vid. H. Bœrh. Mat. Med. p. 180.

Rx. *Sapon. Venet. unc. j.*

Camphor. drach. j.

Spirit. Vin. rectif. q. s.

Dissolutis admisce

Ol. Irini. unc. β.

Stillat. Succin. drach. jβ.

Spir. Sal. Ammon. unc. β.

Ung. Nervin. q. s.

Ut F. Linimentum mediæ consistentiæ.

S. *Partes adfectæ, prius pannis asperis, fccis,*

*calidis, frictæ, dein hoc litu perfricentur
bis de die.*

* * *

Litus Antipleuriticus mitificans, resolvens.

Ibid. p. 150.

R. *Sacch. Saturn. unc. f.*

Aceti. drach. vj.

Ol. Rosac. infus. unc. j.

M. F. Nutritum.

S. Hoc calido inungatur latus affectum ter de die.

* * *
Alius Emolliens Sydenhami.

R. *Ol. Amygd. dulc.*

Lilior. infus.

Ung. Dialthææ ana unc. j.

M. F. Linimentum.

**S. Ut præced. Illito loco superponatur folium
Brassicæ.**

* * *
**Linimentum Balsamicum, demulcens,
ad Intertriginem.**

R. *Ol. Infus. Rosar.*

Express. Amygd. d. ana unc. f.

Ung. Nutrit. s. corp. drach. iij.

Rad. Irid. Flor. pulv. scrup. j.

Ceræ alb. drach. ss.

M. F. Linimentum.

**S. Eo oblinantur partes affectæ, prius deter-
ſæ.**

De Epispasticis.

453. EPISPASTICA, si Pice, ut Basι, constant, *Dropaces*, si Sinapi recipiunt, Veteribus *Sinapismi*, si ruborem modo inducunt, *Phœnigmi*, *Rubefacientia*, si & Vesicas excitant, *Vesicatoria*, dicta, vel sunt **Cataplasma Cruda** (356. 365.), vel **Emplastrum** (405. 413.), vel **Cerata** (415.).

454. Eorum igitur *Præscriptio* ex *Historiis* (loc. cit.) intelligitur: Materiem dictat titulus *Stimulantum* in Materie medica: Usum exponit Indicationum Doctrina: ut ideo pluribus heic non opus sit (7. a. β. 8.).

455. SPECIMINA ideam dabunt pleniorum.

* * *

Dropax ad Membrum Paralyticum.

Vid. H. Bœrh. Mat. Med. p. 179.

Rx. *Picis.* unc. ij.

Galban. pur. unc. j.

Piperis tenuiter contus. drach. iiij.

Castorei. drach. j.

Ol. Irini. q. s.

Ut F. s. a. *Emplastrum ad Alutam.*

S. *Parti affectæ, prius frictæ, adponatur calidum;* priusquam refrixit, iterum subito avellatur: quod repetendum, donec pars rubeat, tumeat, caleat.

* * *

Pasta Rubefaciens, antifebrilis.

Ibid. p. 136.

Rx. *Summit. Rutæ virid. unc. ij.*

Semin. Sinapi. drach. ij.

Contusa exhibe ad Epicarpia.

S. *Adplicantur Carpis ad Pulsuum loca, aliquot horis ante ingruentem Paroxysmum.*

* * *

Sinapismus Cataplasmodes.

Ibid. p. 240.

Rx. *Fermenti acidi Panis. unc. vj.*

Rutæ. m. j.

Semin. Sinapis contus. drach. vj.

Salis.

Aceti. ana unc. 5.

M.

S. *Applica ad cava Pedum & Poplitum noctes atque dies.*

* * *

Phœnigmus Emplastrodes.

Vid. H. Bœrh. Mat. Med. p. 240.

Rx. *Emplastr. de Melilot.*

Galbani.

Sagapeni. ana unc. j.

M. Extende super duabus Alutis ova-tis.

S. *Applicantur cavis Pedum.*

* * * **Sinapismus fortior Veterum, Vesicatorius**

Rx. *Ficuum siccav. in Aqua tepida mace-rat. contusav. part. j.*

Semin. Sinapis seorsim tenuissime con-tus. part. ij. vel iij.

U 5

Accuratè mistis F. Pasta.

S. *Adplicetur loco indicato, donec Vesica enata sit.*

* * *
Vesicatorium Cataplasmodes.

Vid. Ibid. p. 45.

*Rx. Cantharid. sine alis contritar. in pulv.
tenuem. drach. ij.*

Accuratè misceantur cum

*Fermenti Panis, pauxillo cum Aceto
subacti. drach. vj.*

D.

S. *Applica spatio xij. horarum, vel donec in
Vesicam manifesto Epidermis elata sit.*

* * *
Emplastrum Vesicatorium.

Rx. Empl. de Mucilagin. unc. iß.

*Cantharid. sine alis tenuiter pulveris.
drach. ij.*

Terebinth. Ven. q. f.

Accuratè mista extende super Alutis
orbiculatis.

D.

S. *Applicentur sub utroque Poplite, aut alibi;
ut Indicatio fert.*

De Fricia.

456. **F**RICIUM vel *Fricatorium* *voco* Me-
dicamentum, quod superficie cor-
poris externæ, molli, perficandæ dicatur.

457. *Triplex id est ratione Consistentiæ:*

Siccum; Molle; Liquidum. Prius, sumis specie, adhibetur Frictioni siccæ: posteriora Humidæ.

458. MATERIES & FORMA intelligitur ex (272. 283. 369. 393. 421. 432. 443.): Mixturæ enim mediæ, Contraëtæ, Lotiones, Suffitus, Unguenta, Balsama, Linimenta, huic scopo serviant.

459. Usus summus, Veteribus laudatissimus, nec hodie contemnendus, haud latet eum, qui novit, quantum Fricio introvehendis ac in actum deducendis conferat remediis.

460. SPECIMINA passim dedi locis supra (458. citatis. Unum addo

* * *

Fricium, Mixturæ mediæ formâ, Anti-paralyticum.

Vid. H. Bœrh. Mat. Med. p. 179.

R. Sp. Lavandulæ. unc. iij.

Sal. Ammon. drach. ij.

Tinctur. Castorei drach. iv.

Aq. stillat. Lavand. unc. vj.

M.

S. Perfricentur hac cum Mixtura partes.

DE FORMULIS EXTERNIS PROPRIIS.

461. Supersedisse de his scribere; quum re ipsâ ab hæc tenus expositis non

diversæ sint, sed eadem, partibus modò singularibus adaptatæ (294.), ac peculiari hinc nomine donatæ. Ut tamen hoc ipsum constet, omnisque eximatur scrupulus Tyroni, compendio eas tradere constitui.

De Formulis CAPITI dicatis.

De Cucufa.

Vid. (331. 342.).

De Frontali.

462. **F**RONTALE est Medicamentum, quod Fronti & Temporibus, vario fine, applicatur.

463. Quæ huic parando adhibentur, Formulæ sunt Epithema Liquidum, Siccum, Cataplasma Coctum, sæpius tamen Crudum, Unguentum, Balsamum, Linimentum: ut ideo ex (320. 331. 345. 356. 421. 432. 443.) facilis sit eorum, quæ huc pertinent, intellectus.

464. SUBSCRIPTIO & SIGNATURA, præter Nomen & Partem (462.), nihil singulare habent. Quandoque & Materies Nomen Formulæ mutat; ut, quod Oleum & Acetum, præcipue Rosacea, recipit, vocetur *Oxyrrhodinum*, quod ex Constituentibus cum Liquido in Pultem coactis constat, *Anacollemata*. Cæterum &, Vehi-

culi loco (328.γ.), heic nonnunquam servit Placenta e Rosis, a destillatione residuis, compactis, nata.

465. Usus, maximè refrigerandi, humectandi, demulcendi, sopiendi, repellendi, rarius discutiendi, adtrahendi, calefaciendi, scopo dicatus, in morbis Capitis internis & externis, circumspectionem requirit; ne, causa minus sublata, inducatur stupor, aut, exterioribus constipatis, introrsum augeatur impetus. Inde Materiæ huc aptæ Delectus patet.

466. SPECIMINA sunt.

* * *

Oxyrrhodinum demulcens, refrigerans,
sopiens.

Rx. *Olei infus. Rosar.* unc. iij.

Acet. Sambuc. drach. vij.

Tinct. Opii cum Spir. Acet. par.
drach. ij.

Aq. stillat. Rosar. unc. iiij.

M. f. a. F. Oxyrrhodinum. D. cum
Placent. Rosac.

S. *Placenta hoc liquore irrovata Fronti & Temporibus utrinque adplicetur: exsiccata rursum humectetur;* donec somnus obrepatur.

* * *

Frontale Cataplasmodes, Hypnoticum.

Rx. *Fol. recent. Hyoscyam.*

Flor. Rhœad. ana drach. ij.

*Capit. rec. Papav. hort. cum Semin.
no iij.*

Cum *Acet.* *Rosac.* q. s. in pastam tri-
ta exhibe.

S. *Inclusa linteo Fronti adplicantur tepida.*

* * *
Frontale, Linimenti forma, Anodynum,
discutiens, calefaciens.

Rx. *Unguent. Nervin.* drach. vj.

Theriac. Andromach. drach. ij.

Croci pulveris gr. viij.

Ol. infus. Chamæmel. q. s.

Ut F. Unguentum molle.

S. *Exceptum stupis cannabinis, duobus linteis
inclusum. Fronti imponatur.*

* * *
Anacollema Constipans.

Rx. *Bol. Armen.*

Succ. Acaciæ. ana drach. ij.

Masticæ.

Sang. Dracon.

Lap. Hæmat. ana drach. j.

Cum *Album. Ov. conquass.* q. s. redacta
in pultem excipe stupis cannabinis D.

S. *Fronti & Temporibus adplicantur.*

* * *
Sacculus Frontalis, calefaciens, discutiens,
ad Cephalalgiam aut Vertiginem, a
causa frigida nataim.

Rx. *Herb. rec. Rute.*

Fol. Rosmarin.

Flor. Chamæmel.

Sambuc.

Summit. Anethi ana m. ff.

Caryophyll. arom. drach. ii.

Conscissa, tusa grofso modo, include
binis Sacculis oblongis, interpassan-
dis. D. cum

Spiritus Lavandul. unc. iii.

S. *Alternatim Fronti adplicantur irrorati prius*
Spiritu simul exhibito.

Nota. *Referri huc possunt Emplastra Tem-
poralia, ex dictis de Emplastro (405.) sat in-
telligenda.*

De Collyrio.

467. **C**OLLYRIUM dicitur Medicamentum,
quod Oculis extrinsecus, scopo
vario adplicatur.

468. Variis & ipsum Formis gaudet ante
descriptis; ut *Injectionis* (295.), *Adspergi-
nis* (308.), *Epithematis Liquidi* (320.), *Sic-
ci* 331.), *Cataplasmati Cocti* (345.), *Cru-
di* (356.), *Lotionis* (369.), *Vaporationis*
Humidæ (383.), *Suffitus* (393.), *Unguen-
ti* (421.), *Linimenti* (443.). Quare ex loç.
citat. lux refulget heic necessaria.

469. Jubet tamen Visus nobilitas, & sum-
ma Organi teneritudo facilisque a causa
etiam levi corruptio, serio monere; ut vel
Acria, vel Repellentia, si quibus opus, ad-

hibeantur circumspetissimè, nec nisi tenuif-
simè lœvigata sint, quibus nocitura inest sca-
brities, sicubi vel Collyriis Siccis, *Sief* Ara-
bibus dictis, inservient, vel Liquidis saltem
misceri, nec plane solvi, poterunt. Unde
& Acriorum mistio æquabilissima, & Liqui-
dorum quandoque colatio commendanda.

470. **A D P L I C A T I O** pro forma & scopo
varietate discrepat. Liquida vel linteis im-
bibita imponuntur, vel siphunculi aut cala-
mi ope instillantur. Spissa vel vehiculo apto
excepta admoventur, vel illinuntur. Sicca
insperguntur, vel ex calamo insufflantur.

471. **U S U S** multivarius, plurimis Oculo-
rum vitiis sat aptus, modo prudenter institu-
tus (469.), emolliendo, roborando, matu-
rando, resolvendo, refrigerando, sopiendo,
detergendo, derodendo, se commendat.

472. **S P E C I M I N A** funto.

* * *

Collyrium Liquidum, Antiphlogisticum,
repellens, in initio Ophthalmiæ
externæ.

Rx. *Aq. stillat. Plantag.*

Rosar. ana unc. iiij.

Troch. alb. Rhaf. drach. 3.

Sacchar. Saturn. gr. vij.

M. D. ad Vitrum.

S. *Collyrium, quo concusso imbutum linteum*
quadruplicatum imponatur Oculo adfecto
recentetur omni trihorio.

Colly-

Collyrium Cataplasmodes, Antiphlogistum, emolliens, demulcens.

Rx. Pom. dulc. q. v.

Assentur sub cineribus, aut cum
Laet. dulc. q. s. coquantur ad mollitiem.
Pulpæ per setaceum trajectæ unc. j.
admisce

Micæ Panis alb. drach. vj.

Album. Ovi in liquorem conquass. q.s.

Ut F. Cataplasma.

S. Hujus q. s. linteo exceptum calidè admoveatur Oculo, firmetur sine compressione. Renovetur quarta quavis hora.

* * *

Collyrium Vaporosum, stimulans, roborans, ad Paralysin Palpebrarum.

Rx. Herb. Majoran.

Thymi.

Mar. Syriac. ana m. 3.

Flor. Lavandul.

Chamæmel.

Bacc. Juniper. ana drach. iij.

Conscissa, tusa, D. ad Chartam.

**S. Species roborantes, quarum pars quartæ cum
Vin. rubr. pint. 1/4. infusa per horam maceretur, tum ebulliat vase aperto, & vapor exhalans per infundibulum determinetur ad Oculum affectum, spatio quadrantis horæ. Id fiat manè & vesperi.**

Collyrium Siccum, detergens, leniter ero-

dens, ad delendas Cicatrices opacas
Corneæ diaphanæ.

Rx. *Sacchar. cand. albiss. unc. j.*

Alumin. ust. scrup. ij.

Vitriol. alb. gr. x.

M. F. Pulvis subtilissimus.

S. *Hujus tantillum bis de die loco erodendo imponatur.*

* * *
Collyrium, forma Unguenti, ad Trachoma.

Rx. *Ung. Rosac. unc. j.*

Tutiæ præparat. drach. ij.

Sacchar. Saturn. scrup. j.

Camphor. gr. vj.

Ol. infus. Rosar. q. s.

Ut F. Unguentum molle.

S. *Hujus tantillum illinat Palpebris omni spera, cubitum iturus.*

De Nasalibus.

473. **NASALIA** sunt Medicamenta, quæ Naribus admoventur, tum sanitatis, tum voluptatis ergo. Atque alia quidem toto suo corpore, aut vaporibus igne excussis, immittuntur Naribus, alia effluviis sponte exhalantibus Olfactūs modo organum adficiunt. Illa *Errbina*, hæc *Odoramenta* vocantur.

De Errhinis.

474. **E**RRHINORUM FORMA multiplex in genere est *Liquida*; *Mollis*, vel *Solidula*.

α. *Liquida* sunt Infusa (211.), Decocta (224.), Succi (235.), Emulsa (246.), Mixturæ Mediae (272.), vel Contractæ (283.).

β. *Mollia* dant Electuaria (138.), Unguenta (421.), Balsama (432.), Linimenta (443.).

γ. *Solida* constant Pulvere (106. 308.), eoque tenuissimo vel mediocri (107. *α.* *γ.* 309.), Suffitu (393.), Turundis Pyramidalibus, *Nasalibus* propriè dictis, quæ ex Pulveribus & Glutinante, Mucilagine v. g. Albumine Ovi, Terebinthinâ, Melle, Ladanô, Cera, &c. ad modum Trochisci (172.), componuntur, aut & sœpe simpliciores ex Rad. Betæ, Cyclaminis, Iridis, &c. aptè scissis, vel Foliis Betonicæ, Nicotianæ, Cortice recenti Aurant. &c. contortis, formantur.

475. MATERIEM, hujus DELECTUM, &, quæ hoc pertinent, reliqua docet Scopus, & Forma varia (474. & loc. ibid. cit.).

476. ADPLICATIO Liquidorum (474. *ε.*) fit injiciendo (295.), adtrahendo & eluendo (396.), vaporando (383.), aut, instar Fortis Liquidi (320.) cum carptis, tu-

rundis, linteis, &c. immittendo. Mollia (474. β.) illinuntur, aut cum vehiculis mox memoratis induntur. Pulveres (474. γ.) inflantur, adtrahuntur; Suffituum (ibid.) accensorum fumus in Nares dirigitur; Turrundæ (ibid.) intruduntur.

477. Usus variâ se virtute, adstringente, emolliente, demulcente, sopiente, aperiente, stimulante, Ptarmicâ, Mucum eliciente, mundante, detergente, &c. commendat, æquè in morbis Narium propriis, quam aliarum partium, quibus evacuatio per Nares conductit. Sternutationis tamen motus universum corpus violentissimè concutiens, tum evacuationis hujus consuetudo, usu frequentiore inducta, ægrè rursus tollenda, prudentiam heic inculcant.

478. SPECIMINA funto.

* * *

Decoctum mundans ad Ozænam.

R. Rad. Aristoloch. rot. unc. β.

Herb. Veronic.

Menth. ana m. j.

Cum Aq. pur. q. s. coque vase clauso per
1/8 horæ.

Colat. unc. xij. adde

Tinct. Myrrb.

Aloës. ana unc. β.

Mell. Rosac. unc. iβ.

M.

S. Injiciatur hujus tepidi q. s. aliquoties de die

*tum Gossypium aut carpta eo imbuta adpli-
centur.*

* * *

Liquor Stipticus ad Narium Hæmorrh-
giam.

Vid. H. Bœrh. Mat. Med. p. 161.

Rx. *Alumin. rup. drach. j.*

Aq. stillat. Plantag. unc. j.

M. Solve.

S. *Turundis ingestis applicetur cavo Narium.*

* * *

Suffitus Roborans, nimiam per Nares de-
stillationem minuens.

Rx. *Masticas.*

Olibani.

Succin.

Gum. Anim. ana drach. j.

Herb. sicc. Puleg. drach. ij.

M. F. Pulvis grossus. D. ad Scatulam.

S. *Pugillus hujus prunis inspergatur, fumus-
que tecto capite excipiatur Naribus.*

* * *

Electuarium Errhinum ad Gravedinem.

Rx. *Pulv. rad. Galang.*

Irid. Flor. ana drach. j.

Zingiber. drach. g.

Piger. alb. scrup. j.

Mellis comm. q. f.

Ut F. f. a. Electuarium. D. ad Fictile.

S. *Ter, quater de die, tantillum Naribus il-
linatur, aut cum Turundâ indatur.*

* * *

Succus Errhinus, Muci e Naribus excretionem promovens.

Rx. *Fol. recent. Brassicæ.*

Betonic.

Anagall. purp. ana q. f.

Aq. stillat. Majoran. unc. j.

Contusis simul suceum exprime, cuius
unc. iv. adde

Spir. Lilio. Convall. unc. f.

M.

S. *Hujus quantum volâ manus capi potest, manè & vesperi, Naribus adtrabatur.*

* * *

Nasalia ejusdem virtutis.

Rx. *Herb. sicc. Majoran. drach. iß.*

Rad. Ellebor. alb.

Sem. Nigell.

Caryophyll. arom. ana scrup. j.

Mystiches. drach. f.

Mucilag. Gumm. Tragacanth. in Aq.

Ros. fact. q. f

Ut F. f. a. Turundæ Pyramidales pro Nasalibus.

S. *Manè Naribus immittantur.*

* * *

Pulvis Ptarmicus.

Rx. *Fol. siccat. Nicotian. unc. f.*

Majoran.

Mari Syriac.

Flor. Lavendul.

Lilior. Convall. ana drach. ij.

Rad. Pyrethri pulver. drach. j.

Ol. stillat. Caryophyll. gutt. iv.

M. F. Pulvis subtilissimus.

S. Adtrahatur Naribus tantillum, tempore matutino, ut Sternutatio excitetur.

De Odoramentis.

479. **O**DORAMENTIS (473.) MATERIEM præbet, quidquid odorem sponte exhalat Medicatum, suavem, vel injucundum.

480. FORMA, ut Errhinorum (474.), *Liquida* est, *Mollis*, vel *Solida*.

α . *Liquidam* constituunt Liquores Odrati Officinales soli, aut ex his aliisque paratæ Mixturæ Mediae (272.), vel Contratæ (283.).

β . *Mollem* dant Balsama (432.).

γ . *Solidam* Pulvis (106. 308.), aut ex hoc & Glutinante apto, Trochiscorum instar (172.), coacta Poma, Pilæ, Globuli, Smegmata, odorata: quamvis posteriora, quippe deliciis saltem dicata, ex Unguentariorum potius Officinalis hodie petantur.

481. ADMOVENTUR autem Liquida, Balsama, Pulvis, Poma, Naribus; ut proximè agant in Olfactūs organum. Globuli

ex collo, aut in carpis, gestantur. Sme-gma lotioni infervit.

482. Ex his (479 ad 481.), cum Scopo collatis, facile est, quod huc requiritur, præscriptionis artificium.

483. Usus cum voluptati, tum stimu-lando, excitando, aliorum determinando Liquidi Nervosi motui, Atmosphærā corrigendo, maximè dicatus est. Repete au-tem dicta (85. 100. 396. 1. 441.).

484. SPECIMINA Balsamorum dedi ante (442.): reliquorum hæc sunt.

* * *

Vapor stimulans Nares in Apoplexia im-minente a causa frigida.

Vid. H. Bœrh. Mat. Med. p. 177.

Rx *Tinct. Castor.*

Spir. Sal. Ammon. ana drach. ii.

M.

S. Subolfaciat sæpe.

* * *

Pulvis Odoratus, Cardiacus.

Rx *Ol. stillat. Cinnamom. gutt. vi.*
Meliss.

Rorismar. ana gutt. iv.

Sal. Volat. sicc. de Sale Ammon. par.
scrup. β.

Sacchar. albissim. unc. β.

Cinnab. nat. subtiliss. levigat. q. s.
ad coccineum ruborem.

Accurate, cito, mista immittantur va-
sculo vitreo, obthuraculo vitreo
claūdendo.

S. Admoveatur Naribus in Languore.

* * *

Pomum Odoratum.

Rx. *Ladani.* drach. iij.

Benzoin.

Styrac. calam. ana drach. ij.

Herb. Thymi.

Mari Syriac. ana drach. ij.

Camphoræ. gr. ij.

Ol. still Caryophyll. gutt. iv.

Bals. Peruvian. scrup. j.

Cum *Mucilag.* *Gum. Tragacanth.* Aq.

Cort. Citri. *solut.* q. s.F. Pomum.

S. Ut supra. Ex iisdem quoque Globuli ma-
gnitudinis arbitrariæ formari possunt.

* * *

Sapo Fragrans.

Rx. *Sapon. Venet.* unc. viij.

Pulv. subtiliss. Rad. Irid. Flor.

Flor. Lavend. ana
drach. iij.

Ol. stillat. Cort. Citr. gutt. xv.

Tinct. Benzoin. Aquâ præcipitat. q.s.

Concorponentur in pastam, ex qua for-
mentur Pilæ hinc inde Auri foliolis
exornandæ.

S. *Lavandis manibus, faciei, inservit.*

De Stomaticis.

485. STOMATICA voco Medicamenta, quæ
Oris partibus internis adplicantur.
Eorum vero tres sunt species; *Dentifricium*,
quod Dentium & Gingivarum vitiis mede-
tur: *Apopblegmatisinus*, quo Saliva & Mu-
cus Oris elicetur: *Gargarisma*, quod cavo
Oris colluendo inservit,

De Dentifricio.

486. DENTIFRICIUM, est *Liquidum*, *Mol-
le*, vel *Siccum*.

α. *Liquidum* dat plerumque Mixtura Me-
dia (272.), vel Contracta (283.): quamvis
& Liquores Officinales soli, tum Decocta,
Infusa, Succi, eò adhiberi queant. *Collu-
torium* id, aut *Collutio*, quoque audit.

β. *Molle* est Electuarii species (138.); alias
& Eclegmatis (149.), aut Linimenti (443.)
forma heic usu venit.

γ. *Siccum* præbet Pulvis (106, 308.) te-
nuissimus aut mediocris (107. *α.* *γ.* 309.),
tum ex hoc & Glutinante idoneo conflati
Trochisci (172.), aut *Styli Dentifricii*; qui
tamen hodie minus usitati sunt.

487. MATERIES, DELECTUS, cætera,
ex indole corrigendi vitii, & formâ expe-
titâ (486.), intelliguntur. Acida Fossilia
cautè adhibeantur; ne, dum dealbant Den-
tes, simul ambedant.

488. Usus Dentibus, Gingivis, detergendas, firmandis, labe Scorbutica liberandas, his quandoque, in Dentitione difficiili, emolliendas, refrigerandis, conducit.

489. SPECIMINA sunt.

* * *
Collutorium in Scorbuto a causâ calidâ.

Vid. H. Bœrh. Mat. Med. p. 193.

R. *Myriæ Limonum.*

Mell. Rosac. ana unc. ij.

Sp. Sal. dulc. drach. $\frac{1}{2}$.

Aq. stillat. Rutæ. unc. ij.

M.

S. Eo sèpiuscule laventur Dentes & Gingivæ.

* * *
Linimentum vide in Historia Linimenti
p. 303.

* * *
Collutio, Eclegmatis ferè formâ, refrigerans, emolliens, in Dentitione difficiili.

Vid. H. Bœrh. Mat. Med. p. 236.

R. *Crem. Laet. rec.*

Vitell. Ovor. ana unc. j.

Syr. Violar. drach. vj.

Aq. stillat. Rosar. unc. iiij.

M.

S. His foveantur Gingivæ dolentes.

* * *

Opiata Dentes detergens, firmans.

Rx. *Conserv. Ros. rubr. unc. 3.*

Oss. Sepiae ppt. drach. ij.

Sang. Dracon.

Cort. Granator. ana drach. j.

Alumin. usci. scrup. ij.

Mell. Rosac. q. f.

Ut F. Electuarium D. ad Fictile.

S. Manè & post prandium ac cœnam eo fricentur Dentes, tum abluantur cum Spirit. Vim Myrrbato.

* * *

Pulvis Dentifricius.

Rx. *Pumicis ppt. drach. ij.*

Flor. Balaust.

Rad. Irid. Flor.

Myrrb. rubr. ana drach. j.

Lap. Hæmat. ppt.

Sal Ammoniac. ana drach. 3.

M. F. Pulvis tenuis.

S. Ut supra.

* * *

Trochisci vel Styli Dentifricii.

Rx. *Species præcedent.*

*Mucilag. Gumm. Tragacanth. cum
Aqua Salviæ fact. q. f.*

Ut F. Trochisci vel Styli probè siccandi.

De Apophlegmatismo.

490. APOPHLEGMATISMI (485.) FORMA
iterum triplex est, *Liquida, Mol-*
lis, Sicca.

a. *Liquidam* sæpiuscule præbent Decoctæ (224.), Mixturæ Mediæ (272.), crebriùs Contractæ (283.), quandoque & Infusa (211.), Succi (235.), aut Liquores alii officinales, non permisti.

β. *Molle*m dat Electuarium (138.).

γ. *Sicca* varia vel est Suffitūs species (395. *α.*), Nicotianæ simplicis, aut Medicatæ, fumo ore hausto constans; vel Rotula (199.) sublingualis, facile dissolvenda; vel Mansile quid, *Masticatorium* vulgò dictum, solidum, tenax, acre: quò adhibentur Vegetantium acriorum partes solidæ, aut Succi concreti, minus facile liquefcentes, tum ex his, & similibus aliis, confecti Pulveres crassiores (106. 107. *β.*), hique aut laxi, aut panno lineo, in speciem Noduli, inclusi (219. *α.* 2.), aut cum Glutinante in Trochiscos, Pastillosve, coacti (172.).

491. Haud tamen perinde heic semper est, quacunque ex dictis (490.) utaris. Videntum, quænam Indicationi, Morbi, Aegripe, conditionibus aptior.

α. Occasio præceps captanda usum Liquidorum (490. *α.*), maximè simplicium, aut sola permistione parandorum, commendat (42.).

β. Præferuntur eadem (490. *α.*), ubi profundiùs e faucibus trahendum Phlegma, idque tenacius est.

γ. Electuarii (490. *β.*) potior usus est,

cum vel manducatio, vel determinata liquidi siccive in ore volutatio & detentio, ægre fieri potest: ut in Paralyticis & Soporosis affectibus. Id tum, palato adlitum, sensim liquefens, agit certius.

δ. Fumisugium, plurimis minus adsuetis incommodissimum, nimiâ in Nervos actione, fumisque haud dexterè a cavo Narium, Pharyngis, Laryngis, prohibitis, Cephala-lgias, Vertigines, Tusses, Nauseas, Vomitus, creat.

ε. Pueros, & Delicatores, vix longiori adstrixeris manducationi. Placent magis Liquida, aut Rotulæ acre Saccharo tegentes (490. γ.). At his obtusior quoque virtus.

ζ. Ubi lentè, diù, validè, proritandus humor, Mansilia (490. γ.) cæteris antehabentur; nisi priorum quædam repugnant.

492. MATERIES petitur ex iis, quæ ore excepta, retenta, mota, vi emolliente aut præsertim stimulante, majorem Salivæ & Muci copiam eo adlicere queunt. Vid. H. Bœrhaave Instit. Med. 1195. 1197. 1200. I.

2. 3. Quæ enim deglutita, Ventriculo recepta, Nauseam creando, Salivam movet, aut in Sanguinem delata, hunc dissolvendo, Ptyalisum excitant, hujus non sunt loci, ubi de Topicis Stomaticis (485.) agimus.

493. ELECTUM docet Remedii vis re quisita, & Forma adhibenda (491.).

α. Emollientia, Saponacea, Aromaticæ,

Oleo vel Sale acri prædita, alia aliis validiora, infinitam heic Medico præbent sylvam, ex qua aptum nodo cuneum quærat. Inde cum vario Menstruo, Aquoso, Vinoso, Decocta, Infusa, Succos, lenius, fortius, agentes, juxta datas ante regulas (211. 224. 235.), parare facile. Suavitas, Acumen, Melle vel Saccharo obtinetur.

β. Mixturis (490. *a.*) idoneam dant materiem Aquæ stillatitiæ, Aceta, Spiritus, Tincturæ, Essentiæ, Olea, Salia, ex similibus (493. *a.*) confecta; quorum & dilutiora seorsim sumta heic bona.

γ. Nicotianæ Medicatæ Suffitus ut paretur, ante docui (395. *a.* 396. *d.* & seq.).

δ. Aromata, Radices, Cortices, Folia, Semina, acriora, integra, Vino quandoque, Aceto, Spiritu Vini, prius macerata, tum Succi tenaces, similes, odore tamen haud insuaves, Mastiche v. g. Myrrha, &c. seorsim singula, simplex, at efficax, præbent Mansile. Alii nec Nicotianæ Folia horrent. Indos Betele & Arecca, cum Calce, mansa delectant.

ε. Hæc (*d.*) contrita Pulveres exhibent (490. *γ.*), ex quibus linteo inclusis Noduli (*ibid.*), cum Saccharo subactis Rotulæ (*ibid.*), cum Cera, Mastiche, Melle, aliove Glutinante, concorporatis Trochisci mansiles (*ibid.*), Melle plure vel simplice, vel Medicato, exceptis Electuaria (*ibid. β.*) nascentur.

ζ. Abstinendum ubique, maximè in mandendis, ab iis, quorum Odor aut Sapor detestabilis; quum nimis evolvatur. Consuetudo tamen vel molestissima etiam mansuefacit (δ.).

494. **ORDO, DOSIS, QUANTITAS GENERALIS, PROPORTIO, SUBSCRIPTIO,** satis patent ex iis, quæ de similibus Formulis Internis ante dicta, collatis ad hactenus (490 ad 494.) exposita, & mox subjungenda Specimina. Pastillorum Moles, heic plerumque major (177.), scrup. j. drachm. f. imò j. æquat.

495. **SIGNATURA** pariter ex prius dictis intelligitur.. Jejunum ferè Stomachum amat hæc Evacuatio: unde aliquot plerumque ante pastum horis moveriuntur; nisi cum in morâ periculum. Promovetur prono capite, simulque acrum delapsus in Fauces sic cavitur. Ultra semihoram vix protractatur. Os, post Apophlegmatismi actionem, Aquâ tepidâ, Lacte, aliove blando liquore, eluendum vix monere opus.

496. **USUS**, caute directus, nobilia præstat, aliis haud adeo viis semper obtainenda, in Frigidis, Catarrhosis, Soporosis, Paralyticis, Epilepticis, affectibus, Leucophlegmatiâ, Anginâ Aquosâ, Odontalgiâ, &c. Abusus rei optimæ pessimus Salivâ, humore utilissimo, privat Chylopoiesin, subtillisimis

lissimis orbat sanguinem , consuetudinem inducit ægrè rursus exuendam .

497. SPECIMINA sunt.

* * *

Decoctum Apophlegmatizans, ingruente Apoplexiâ Frigidâ utilissimum .

Vid. H. Bœrh. Mat. Med. p. 175.

℞. Rad. Imperator.

Pyrethri. ana unc. j.

Fol. Recent. Rutæ.

Majoran. ana m. j.

Flor. Lavand. m. β.

Semin. Sinapis contus. unc. β.

Conscissa, cum Vini Alb. Libr. ij. coque per 1/2 horæ, vase exactè clauso .

Colat. admisce

Spir. Sal. Ammon. drach. ij.

Mell. Anthos. unc. iβ.

D.

S. Hujus tepidi pauxillum ore detineat ac volvet, humorem prolectum jugiter exscreans. Repetat pro necessitate urgente, quavis horâ aut citius.

* * *

Mixtura similis, Odontalgiae Catarrho-sæ apta.

℞. Aq. stillat. Lavandul. unc. vj.

Spirit. Regin. Hungar. unc. ij.

Sal. Ammon. drach. j.

Tinct. Sal. Tart. Helmont. drach. ij.

Zingib. subtiliss. pulv. drach. β.

Y

*M. D. Vitro clauso.***S.** Ut supra.

* * *

Apophlegmatismus, formâ Succi pressi.**Rx.** *Fol. recent. Bocabung. m. j.**Cochlear. m. ss.**Rad. recent. Ari.**Armorac.**Sem. Sinapis. ana unc. β.***Conscissis**, tuis, exprime Succum, cui
admisce*Vin. alb. unc. ij.**Sacchari alb. unc. j.***M.****S.** *Hujus haustulum, omni manè, ore prius
aqua eluto, contineat aliquamdiu Scorbuto
frigido laborans, tum exspuat una cum sa-
liva sic prolectâ.*

* * *

Pulvis Apophlegmatizans.**Rx.** *Rad. Pyrethri.**Cort. Magellanic. ana drach. ij.**Cubeb.**Cardamom.**Caryophyll. arom. ana drach. ss.**Sal. Ammoniac. drach. j.**Ol. stillat. Caryophyll. gutt. vj.***Contusis F.** Pulvis crassiusculus. **D.** in
Scatulâ.**S.** *Capiat omni mane, jejunus, quantum api-*

*ce cultri sustineri potest, & commandat,
exspuatque humorem proritatum.*

* * *

Rotulæ Sialogogæ.

Rx. *Species præcedentes subtilissimè tritas.
Sacchar. albiss. Aq. Rosar. solut. &
inspissat. sextuplum.*

Ut F. l. a. Rotulæ.

S. *Una vel duæ sub lingua detineantur, ut sensim liquecant. Excernatur Liquidum adfluens.*

* * *

Electuarium ex iisdem.

Rx. *Species easdem Pulveris subtilissimè comminutas.*

Mellis Anthos. triplum.

M. exactè. **D.** ad Fictile.

S. *Hujus tantillum Palato adfricetur in Morbis soporosis, frigidis.*

* * *

Nodulus similis.

Pulver. præcedent. drach. iß.

Mastiches. drach. iiij.

Mista illigentur panno lineo, ut F. Nodulus.

S. *Mandatur leniter mane per 1/2 horam, ut Saliva proritetur exspuenda.*

* * *

Trochisci masticatorii.

Vid. H. Boerh. Mat. Med. p. 175.

Rx. *Masticb.*

Ceræ alb.

Zingib. ana unc. j.

F. s. a. parvi Pastilli, singuli drach. β .
aut j.

S. Ut supra.

De Gargarismate.

498. **G**ARGARISMA (485.) est Medicamen-tum Liquidum, Cavi Oris, maxi-mè verò Faucium, collutioni, varios in usus, aptatum. *Collutio* quoque vel *Collu-torium* audit, præcipuè si Gargarisatio, a qua nomen habet, sub ejus usu non accedit.

499. FORMA ejus, semper Liquida, In-fusi (211.), Decocti (224.), Succi expressi (235.), Emulsi (246.), Julapii (261.), vel Mixturæ Mediæ (272.), species est, iis-demque, quibus hæc, legibus paratur. Unde ex dictis (loc. cit.) facile artificium.

500. MATERIEM, hujusque DELECTUM limitat varia Medici Indicatio, & Liquidi species confienda (499.), collata iis, quæ de hac, interno usui dicatà, ante (loc. cit.) monita sunt.

501. ORDO, QUANTITAS GENERA-LIS, PROPORTIO, itidem sequuntur leges ante (loc. cit.) datas. DOSIS, pondere nunquam determinanda, est, quantum buc-cis non dispansis commodè capitur.

502. SUBSCRIPTIO jubet. *F. Liquor pro Gargarismate aut Collutorio.*

503. SIGNATURA, præter generalia, injungit Applicationis modum, qui non semper idem est. Alias enim Liquidi ore excepti, supinato capite, facienda agitatio; ut concussæ cum eo partes magis undequaque imbuantur, detergeantur, penetrantur. Alias lenis modo ejus voluntatio, aut tranquilla detentio, requiritur, cum partes inflammatae, aliove modo læsæ, Gargarismatum negant, aut Liquidum motum a descensu per Fauces prohibere satis nequeunt. Alias & per Siphonem injectio fit: quod in Infantibus saepe, aut ægris debilioribus, suive non compotibus, necessum. Calidi cæterum usus frequentior est, quam Frigidi. Hoc tamen amant quidam, ubi adstringendum vel repellendum.

504. USUS insignis in quibusvis fere Oris interni, Faucium, partiumque his vicinarum, morbis, Inflammationibus, Tumoribus, Ulceribus, Aphthis, Siccitate, Colluvie aquosa, mucosa, Laxitate, Rigiditate nimia, &c. dum vis quæcunque expetita, emolliens, adstringens, humectans, siccans, refrigerans, calefaciens, resolvens, suppurans, detergens, &c. directè locis affectis applicari sic potest.

505. SPECIMINA sunto.

* * *

Collutio Antiseptica, ad Ulcera Oris, a Scorbuto putrido nata.

Vide H. Bœrh. Mat. Med. p. 193.

Rx. *Spir. Salis marini.* drach. ij.

Aq. stillatit. Salviæ. unc. viij.

M.

S. *Hoc Liquore colluat Os & Fauces* sèpius
de die.

Collutorium ad Anginam Inflammato-
riam, Antiphlogisticum, resolvens,
refrigerans.

Rx. *Aq. stillat. Flor. Sambuc.* unc. xvi.

Acet. Vin. destillat. unc. ij.

Sal. Prunell. drach. iij.

Rob. Sambuc. unc. ij.

M.

S. *Calido hoc Liquore, ore detento, Fauces*
assiduò humectentur.

Decoctum Emolliens, Demulcens, ad
promovendum Ptyalismum Mer-
curiale.

Vid. H. Bœrh. Aphorism. 1475.

Rx. *Herb. Althææ.* m. ij.

Malvæ.

Flor. Rhæad.

Verbasci. ana m. j.

Rad. Glycyrrhiz. unc. j.

Cum Seri Lact. rec. q. s. decoct. spatio
1/4 horæ, tum Colat. express. Lib. ij.
admisce

Mellis puri. unc. ij.

D.

S. *Hoc tepido gargariset & colluat jugiter totum Oris cavum.*

Aliud Laxans & Detergens, ad crustæ
Aphthosæ lapsum promovendum.

Vid. Ketelaar de Aphthis, p. 38.

Rx. *Hordei mundat.* unc. j.

Passul. exacinat. unc. ij.

Ficum. No. iij.

Liquirit rasæ. drach. iij.

Coque ex Aqu. pur. tum cola & exprime.

Colat. Lib. ij. admisce

Syr. *Fujubin.* une. ij.

D.

S. *Tepidum Ore semper continetur, & si
pote, gargarisetur.*

Infusum Balsamicum, consolidans, ad
Ulcera Faucium mundata.

Rx. *Herb. Agrimon.* m. j.

Veronic.

Salviæ.

Flor. Hyperic.

Betonic.

Rhæad. ana m. f.

Infundantur cum *Aq. pur. fervidæ.* unc.

xx. stent per horam infusa, vase clau-
fo, tum Colat. express. admisce

Mell. rosat. unc. ij.

S. Ut supra.

De Scuto.

Vid. (331. 342. 414. 431.).

De Clysmate Intestinali.

506. CLYSMA INTESTINALE, *Clyster*, *Enema*, *Lavamentum*, vocatur Liquor, qui Intestino Recto, Evacuandi, Alterandi vel Nutriendi fine, injicitur. Pertinet ergo ad Injectiones, de quibus generatim ante (295. & seq.) actum; atque inde magna parte intelligitur.

507. MATERIES in genere *Excipit* vel *Excipitur*.

a. *Excipiens* Liquor est varius, vel (1.) *Vulgaris*: ut Aqua simplex, Fabrorum, Lac recens, ebutyratum, ejus Serum, Cerevisia, Vinum, Urina, &c. Vel (2.) *Præparatus*, in Officinis prostans, aut *Pharmacopœo* sat notus; ut præscriptione Magistrali non egeat ejus præparatio: v.g. Aquæ stillatit. Lac Chalybeatum, Decocta Hordei, Avenæ, Specier. Emollient. Carminant. Clysmat. ordin. aut materiei cuiusdam singularis, Juscula Carnium, Olea pressa, infusa, cocta, & similia. Vel (3.) Decoctione demum, rarius Infusione, parandus juxta præscriptum Medici.

β. *Excipienda* sunt, quæcunque, scopo apta, *Excipiente* (*a.*) solvi, aut huic misceri ita possunt, ut requisitam heic Liquo-

ris meabilitatem non destruant. Referuntur hæc ad (1.) Solubilia in Aquosis: ut sunt Electuaria, Confectiones, Pulpæ, Succi, Extracta, Mella, Syrupi, Sapones, Vitell. Ovi, Salia, Saccharum. (2.) Pinguisa: ut Olea infusa, cocta, pressa, stillatitia, Pinguedines, Medullæ, Seva, Butyrum, Balsama, præprimis Therebinthina, Unguenta, &c. (3.) Pulverulenta non solubilia, quorum tamen rarer heic usus.

508. DELECTUM docet varius Scopus, tum cognita Materiæ Virtus, Pretium, prompta Parabilitas, aliæque tam hujus, quam Aegri, conditiones, facile in singulari casu determinandæ. Unde

α. Repetendum, quidquid de Injectione prius (299.) dictum,

β. Ubi, quod heic saepe obtinet, citissimo opus auxilio, absint Infusa vel Decocta, quin & Excipienda, ut Olea pressa, longam poscentia præparationem (42.). Neque enim deficiunt jam parata, cuivis apta Indicationi.

γ. Nec utere pretiosioribus, maximè si saepius iterandum Clyisma; tum ne emungas Aegrum; tum ne corrupta exhibendi ansam captet Pharmacopœus, sat hæc bona putans cavo putridis adsueto, gnarusque hos liquores raro explorari.

δ. Species Emollient. Carminant. & pleraque alia, quæ solis Clysmatibus desti-

nata prostant jam coimposita in Officinis, si potes, cave: s̄epissime enim exoleta sunt, situ, vermibus, corrupta. Levi labore alia præscripseris recens paranda.

ε. Oleosa Aqueis excipienda haud adeo exactam heic, ut in Internis (274. ζ.) postulant unionem: quamvis & Mel, Vitell. Ov. Saccharum, Sapo, Salia, alio fine, dum scopus fert, addita hanc præstare queant. Terebinthina tamen Ovi Vitello subigenda curatius; ut divisa felicius agat: nam Digestivi loco ferè adhibetur.

ζ. Cur vetant Acida miscere Clysmati, qui vel acerrima etiam Emetica & Purgantia heic adhibere non verentur? Sanè ubi corrigenda putrilago, refrænandus calor febrilis, Acidi dilutioris usum suadent omnia.

η. Pulverulentis (507. β. 3.) facile carueris, cum alia præsto sint omni scopo idonea. Sin uti velis, nota Cautelam (299. δ.).

θ. Sal & Oleum frustra ab Anthelmintico Clysmate arcentur. Quis solis dulcibus delectari Vermes dixerit, cum & in acermiss nidulentur? Enecti colliquescunt cito, facile dein expellendi.

ι. Nutrire dum scopus exigit, Juscule Carnium nihil aptius. Visum hoc, mox, ut ingestum fuerat, sanguini admixtum nocuisse nihil, hinc præviam & Tenuium Intestinorum Coctionem vix reposcunt. Antiseptico saltem condiendum, si calor corporis nimius ad putredinem disponit.

η. Denique, ut Medico nunquam, nisi ex ratione, agendum (11. 12. 15.), ita, Clysmate indicato, mox cogitet, eo quid effici debeat & possit, facillimè dein repertrus aptam huic componendo materiem. Videbit hinc, toties heic commendatis Specificis Cephalicis, Pectoralibus, Stomachicis, Hepaticis, Uterinis, &c. vix majora præstari, quam generali Diluentium, Humectantium, Emollientium, Calefacientium, Refrigerantium, Sopientium, Discutientium, Resolventium, Stimulantium, materie. Sic ars Tyroni facilis fit, & servilis aliorum exemplis perpetuo inhærendi tollitur necessitas.

λ. Quin & farragine inconditâ heic opus non esse, ex diëtis (η.) patet. Sæpe unicum sufficit ingrediens, nullo stipatum Excipiendo. Sæpius duo: Aqua, Lac, hujus Serum, cum Melle, Saccharo, Nitro, Oleo, Butyro, &c. Nonne Urina sola, Sal communis Aquæ quintuplo solutus, Decoct. Fol. Nicotianæ, inter certissima habentur, si valentiore opus stimulo?

509. ORDO idem heic obtinet, qui in Infusis, Decoctis, aut Mixturis internis (214. 227. 275.): has enim ad Formulas reducuntur omnes Enematum compositorum species.

510. DOSIS & QUANTITAS GENERALIS æquales sunt; cum vix nisi una simul præ-

scribatur Dosis (68. a.). Hæc autem varia est

a. Ratione *Aetatis*. Ubi hæc ferè regula obtinet.

Infanti recens nato	- - -	unc. ij.
- - -	proiectiori	- - - unc. iij. iv.
Puero	- - - - -	unc. vj. vij.
Adulto	- - - - -	unc. viij. x. xij.

b. Ratione *Constitutionis Aegri*. Proceri plus ferunt: Parvuli minus. Difficili anhelitu affecti, Intestina flatu distenta, mole extrinsecus incumbente, Fœtu v. g. grandiore, Aquis, &c. pressa, vix admittunt copiam majorem, admissam cito excutiunt.

γ. Ratione *Effectus præstanti*. Si diluendum, humectandum, emolliendum, refrigerandum, nec alia repugnant, major quantitas conducit. Si validè stimulandum, minor; ne moles stimulo juncta citius expellat. Si diutius retinendum, minor itidem expedit: quod maximè in iis, quæ Nutriendi fine injiciuntur, notandum.

δ. Cæterum & heic parcior simul injecti copia pensari potest iteratione, &, si quæ obstant, per intervalla immitti, quod simul debebat.

511. PROPORTIO mutua Ingredientium, vix certis in universum limitanda legibus, attento ad suam indicationem (508.), Virtutem materiæ, Vires Aegri, Sensum hujus majorem minoremve, requisitam In-

jectionis Consistentiam (299. §.), &c. determinatu facilis est.

α. Si Purgantibus opus infusis, decoctis, aut intermistis, hæc plerumque dupla recipiuntur dosi, qua darentur ori ingerenda, quandoque & tripla, imò majore, ubi stimulandum fortius.

β. Salium mediorum, quæ magis heic usitata, drach. j. ij. ad Liquoris unc. x. pro stimulo mediocri ferè sufficiunt. Alias tamen uncia j. imo ij. adhibentur in acermissimis (508.).

γ. Eorum, quæ Mellis aut Syrupi gaudent spissitudine, latissima iterum Proporatio primariò ex virtute Medicata, dein & consistentia, limitatur; ut ideo summa ferè sit, si horum & Liquoris æquale pondus sumseris.

δ. Pinguium tamen, nisi cum sola totum constituunt Clysmæ, parcior quantitas, rarius quartam totius partem exsuperat. Terebinthinæ autem vix plus unc. 8. aut drach. vj. ad Liquoris unc. x. recipitur.

ε. Solida, Sicca, Pulverulenta, quin majore quantitate admisceantur, prohibet nascitura spissitudo, aut facilis in grumos coactus. Drach. j. ij. iij. Adulto (510. α.) sati sunt.

ζ. Opiatis, aliisque Draisticis, iis maximè, quorum vis subdola furtim se vasis insinuat, cautus utere. Est & in Crassis ap-

paratus Nerveus ; adsunt absorbentes Venuiae. Unde ab ejusmodi imprudenter injectis quandoque damna pessima. Ab Opii gran. iv. Clysmati additis æternum dormivisse visus est æger.

n. Circumspectus etiam Stimulantia determina, cogitans, an, quibus, quantis, opus sit. Alias temerè addita, alias omissa timidè spem tuam frustrabuntur. Si potentissimè excitare, expellere, revellere, volueris ; stimulo languente ages nihil. Si diutius retinendum Clyisma, ut emolliat, diluat, mulceat, foveat, sopiat, nutriat ; ab Acribus abstine.

s 12. SUBSCRIPTIO, præter ea, quæ Infusionem, Decoctionem, Miftionem, spectant, similia ante dictis (218. 219. 231. 279.), nisi quod Depuratione haud adeo exacta opus sit, ponit: *F. Enema vel Clyisma.* Quum vero multis in locis injectione ipsi demandetur Pharmacopœo, aut instrumenta saltem huc necessaria ab eo petantur, adscribi insuper potest,

a. Qua Ætate sit, cui injiciendum Clyisma; an infans, puer, adultus? ut aptus ano tubulus eligatur: licet ex quantitate Liquoris (510. a.) id conjici plerumque queat.

β. Cujus Sexus, si adultus: sequiori enim mulieres id officii præstant.

γ. Tempus, quo immittendum: an mox, an mane, vespere, &c.? Nulla hora in uni-

versum huic Remedio inepta est. Urgens necessitas quamcunque admittit. Alias tamen vacuo Ventriculo magis probatur ejus usus.

Reliqua, quæ huc spectant, mox tradenda, supponuntur cognita injicienti.

513. SIGNATURA vix opus, nisi cum Subscriptio (512.) brevior usum non memorat. Tum vero, dato Titulo (60. γ. 506.), quoad reliqua intelligitur ex modo dictis (512. α. β. γ.). Addenda tamen aliquando, aut & oretenus injungenda nonnulla, quæ applicationis aut actionis commodo serviunt. Ut

α. Agenda *ante Injectionem*. Hæc sua ex indicatione figit Medicus, varia in variis. Unum noto: Nutrienti Clysinati præmitendum aliud Intestina à fœcibus repurgans; ut tanto promptior fiat absorptio.

β. Quæ spectant *Injectionem ipsam*. Ubi (1.) Liquoris justa exigitur Calefactio ad temporem ferè sani hominis. Vas Clysina continens, admotum oculo, labiis, aut dorso manus, his dum calore non infestum est, debitum notat gradum. Excessus in utramque partem semper minus prodest, sæpius & nocet ægro, & ingredientia, Vitellos, Pinguia, coagulat, tubum obstruit. (2.) Situs Aegri trajectui Liquoris per tubum intestinalem commodissimus. Sunt quibus decubitus in sinistrum latus

aptior videtur; quod Sigmoideus Coli in Rectum abituri flexus, sinistro latere situs, viam exhibeat declivem. Obstat tamen Recti ab Ano adscendentis declinatio dextrorsum *a*, hoc in situ magis resistens impulso liquori; pressio dein & compressio tractus Coli in sinistris siti, Recto proximi, ab incumbente reliquorum Intestinorum mole; tum ludentis naturæ inconstantia, flexum Coli Sigmoideum quandoque ad dextram Recti formans *b*. Unde cum plurimis decubitus in dextrum latus præfero. Est tamen, ubi nec electio datur. (3.) Quies ægri & pacata Respiratio; ne valide contractis Muculis abdominalibus via arretertur nimis, aut subita fiat inje^cti repulsio (4.) Instrumenta, quæ variis locis varia in usu sunt, heic non enumeranda. Vid. *R. de Farvacques Medic. Pharmac.* III. Boek. x. Capit. (5) Injectio haud impetuosa, nec nimis properata.

γ. Post Injectionem agenda. Heic revolutio lenis in sinistrum latus, aut in dorsum, quies, tranquillus anhelitus, alvi retentio, si Clyisma diutius retinendum, commendantur.

514. Usus in genere expositus (506. 508.), laudatissimus, prolixior, quam qui heic sigillatim describi queat, omni, tenerimæ

a. Vid. Eustach. Tab. Anat. X. Fig. II. IV.

b. Idem ibid. Fig. V.

rimæ etiam, ætati aptus, solis nocet Hæmorrhoidum fluxui obnoxiis, si acria adhibentur, tum & nimius, præter necessitatem, Intestina reddit debiliora aut stimuli consuetudine segnia, ut, nisi jugi monita incitamento, ab officio cesserent. Vim Nutrientem qui Clysmatibus negant, nescire videntur ante dicta (511. ζ.). Quin & Laetitia in Colo Hominis, Chylo repleta, demonstravit Cl. Winslow a. A Vino, Spiritu Vini, etiam parciore copia, Clysmatis specie injecto nata temulentia, &c.

515. SPECIMINA sunt.

* * *

Clyisma Meconium induratum resolvens;
evacuans.

Vid. H. Bœrh. Mat. Med. p. 225.

Rx. Seri lact. recent. unc. ij.

Sapon. Venet. drach. iij.

Mell. drach. ij.

M. F. Clyisma

Pro Infante recens nato.

* * *

Aliud Vermes expellens.

H. Bœrh. Mat. Med. p. 235.

Rx. Vitriol. Mart. gr. xv.

Aq. still. Cichor. unc. iv.

M. F. Lavamentum:

Pro Puero trienni aut quadrienni.

a. Exposit. Anatomi. Traité du Bas. ventre. 218.

* * *

**Clyisma Refrigerans, Antiphlogisticum,
in Rabie Canina.**

Ibid. p. 183.

Rx. *Nitri* drach. ij.

Acet. Sambuc.

Mell. Rosar. ana unc. j.

Aq. decoct. Hord. unc. x.

M. F. Clyisma.

S. Injiciatur bis vel ter de die.

* * *

Clyisma Nutriend.

Ibid. p. 139.

Rx. *Fur. Carnium.* unc. x.

Sal. Nitri gr. x.

Sp. Salis. gutt. vi.

M.

**S. Injiciatur octava quâque horâ, postquam
primo Clysmate purgante elota alvus fuit.**

* * *

**Clyster Emolliens, Anodynus, Aperiens,
Calculum pellens.**

Vid. H. Børh. Mat. Med. p. 243.

Rx. *Herb. Malvæ.*

Parietar.

Heder. terrestri. ana m. J.

Seri Laet. recent. q. f.

Coque spatio $\frac{1}{4}$ horæ. Colat. express,
unc. ix.

adde Ol. Lini. unc. j.

Nitri pur. drach. $\frac{3}{4}$.

M.

S. Inieciatur mane & vesperi.

* * *
Clyisma Balsamicum, Anodynum,
Antidiyentericum.

Rx. *Flor. Chamomill.* m. ij.
Cum *Lact. dulc.* q. s. coque vase clauso
per $\frac{1}{4}$ horæ. Colat. unc. viij. adde
Terebinth. Venet. Vitell. Ov. subact.
drach. iiij.

Mell. Rosar. unc. j.

M. F. Enema.

Pro Adulto.

* * *

Clyisma Revellens, Salivationis Mer-
curialis impetum minuens.

Vid. H. Børh. Mat. Med. p. 251.

Rx. *Flor. Sennæ.* unc. j.

Agarici drach. iv.

Semin. Cartham. drach. ij.

Rad. Falapp. drach. j.

Cum *Aqua decoct.* Colat. unc. xij. in-
jice pro Clysmate.

Nota. *De Clystere ex Fumo Nicotianæ*
vid. Cap. de Suffitu, in fine, pag. 271.

De Suppositorio.

516. SUPPOSITORIUM, *Glans, Báλαρ,*
Nodus Intestinalis, est Medicamen-

Z 2

tum plus minus solidum, rotundum, aut ex tereti oblongum; globuli, conuli, vel glandis formâ, quod Ano varios ad usus intruditur.

§ 17. Sæpiissimè id, e Simplice Materie petitum, Præscriptione haud eget. Alias tamen data etiam opera componitur.

§ 18. *Simplicis MATERIES & PRÆPARATIO*, satis & in vulgus nota, aliis alia adhibetur, effectu tamen ferè eodem. Ut sunt Saccharum coniforme, in globulum aut conulum redactum, inde confecti cum Moscho globuli Moschati, officinales; Saponis Veneti frustulum similiter figuratum; Sebum Candelæ; Cereoli particula Butyro oblita; Lardum lotum; Prunum & Ficus inversa; Caseus recens; Chartæ bibulæ segmentum conicè contortum, Butyro illitum; Mel ad duritiem coctum; Amygdalum Saccharo obductum; globulus vel conulus ex Alumine factus, Oleo vel Butyro inunctus; Rapæ caudula; Radix Althææ, Malvæ, Beræ, Brassicæ, Sambuci, &c. decorticata, debitè formata, Oleo aut Butyro salito illita; Caulis Porri similiter aptatus, & similia. Hæc ferè vulgaria, infantibus, quin & adultis quandoque adcommodata, alvo lubricandæ, magis minusve stimulandæ, tum eliciendis anno vermibus, &c. inserviunt.

§ 19. *Compositum* est vel Stimulans, vel propriis Intestini Recti vitiis dicatum.

520. *Stimulantis MATERIES* dividitur in *Excipientem vel Excipientem*.

α. *Excipiens* est Mel ad duritiem coctum, ut gutta marmori frigido instillata, frigefacta, non adhærescat, sed fragilis sit. Sunt, qui huic Electuarium quoddam Officinale, Purgans, aut succum acriorem, simul incoquunt. Sapo Venetus etiam pro Excipiente esse potest, Vitellus Ovi, aut Mucilago Tragacanthæ, aut Saccharum Tabulatum. At hæc rarius.

β. *Excipiuntur* eo (*α.*) Acria quæcunque, Stimulantia, sicca pulverulenta, vel spissa, quorum infinita, gradu acrimoniæ diversa, in Officinis prostant. Ut sunt Sapo, Sal commune, Gemmæ, Nitrum, Ammoniacum, Alumen, Vitriolum Martis, Stercus murium, Aloë, Myrrha, Fol. Sennæ, Agaric. Jalapp. Species hieræ, Massæ pilular. purgantium, Cochiar. Extract. Cathol. Succus Absynth. inspissatus, Fel Tauri spissatum, Castoreum; tum Purgantium & Emeticorum acerrima, Colocynthis, Trochisci Alhand. Scammoneum, Elleborus albus, Euphorbium, Crocus metallorum, &c.

521. Quod *Propriis Recti vitiis* infervit, MATERIE gaudet pro horum adfectuum varietate variâ, Stimulante, Detergente, Erodente, Balsamicâ, Consolidante, So- piente, Emolliente, Adstringente, &c.

Huic enumerandæ nullus heic locus. Ejus autem Adaptatio fere triplex est.

α. Vel enim in massam, priori (520.) similem, duram veleplasticam, cuin simili (520. *α.*), vel alio apto Excipiente, Unguento quandoque, Cerato, Emplastro, coacta, nudaano intruditur. Emplastrum Officinale, Oleo vel Unguento idoneo illatum, solum, heic aliquando in usu est.

β. Vel in Unguenti (421.) aut Balsami (432.) spissitudinem concorporata, linteis carptis, gossypio, aut lanâ, excipitur, atque in Globulum, Glandem, aut Turundam, formatur, cui filum adligandum, foras propendens, quo extrahi rursus possit ano immissa.

γ. Vel pasta similis (*β.*) sindoni immissa colligatur in Nodulum, ano intrudendum, filo itidem propendente rursus extrahendum.

522. In DELECTU habenda ratio Indicationis, variæ Virtutis, præsertim drafticæ, Ingredientium, Aetatis, &c. Vid. ante dicta (299. 508. & aliis locis.)

523. ORDO plerumque Excipiendis subjungit Excipiens, maximè si hujus quantitas haud pondere determinatur. Alii & præponunt.

524. MAGNITUDO Dosi heic exprimit. Si Forma Rotunda est; alias Pisi, alias Nucis Avellanæ, aut & Glandis moles mensu-

ram dat. Si Conica; crassities minimi digiti ejus, cui Suppositorium applicandum, basin ferè determinat, longitudo sumitur 2 3 vel 4. digitorum transversorum. Materiæ hinc quantitas ferè a drach. j. ad vij. vel unc. j., pro varia Magnitudine recipitur. Exactiori determinationi servit Aetas varia; Intestini Recti angustia, major minorve, morbosæ; Actio Suppositorii lenior, fortior, aut ad variam Recti ægritudinem requisita: unde si validius in Morbis v. g. Soporosis Stimulandum, quandoque ultra digiti longitudinem conus extenditur.

525. QUANTITAS GENERALIS sæpiissimè Dosi (524.) æqualis est. Ubi autem diutius continuata Glandis exigitur actio, ut unahaud sufficiat, duæ, tres, vel plures simul prescribuntur; ut alia post aliam intrudi possit. Ex multiplicata tum singulorum Dosi facilis determinatio Quantitatis Generalis.

526. PROPORTIO mutua Ingredientium scitur ex consistentia tum Excipientis, tum Excipientum, & ipsius Pastæ efformandæ (520. 521.), ex singulorum Virtute, & Remediis desiderata efficacia. Hinc

α. Si Mel induratum Excipit (520. α.), ad hujus unc. j. recipiuntur Excipientum scrup. iv. drach. jß.

β. Si mollius aliud pro Excipiente servit

(ibid. & 521. a.), augeri pro rata Excipientium quantitas potest; nisi & Pasta mollior exigitur.

527. SUBSCRIPTIO & SIGNATURA peculiaris nihil continent, quod ex ante dictis haud intelligi queat facile. Quæ duriora sunt, plerumque leni Oleo, Butyro, Axungia, Sebo, aut Unguento, prius illinuntur, quam adplicantur. Alias & Salivâ id fit, aut, si stimulandum fortius, acriore quodam Oleo. Ante immissionem & Alitus exonerata requiritur, nisi hanc solvendi causa Glans adhibetur.

528. USUS, jam ferè expositus (518. 519. 521.), sat eximius, Clysmatum Purgantium sæpe succedaneus, cum hæc aut ab ægris morosis, nimium pudicis, aut ob alias causas, non admittuntur, quin & his injectis, Purgantibusve ore haustis, minus feliciter operantibus, opem ferens, alvum sollicitando, Vermes necando, expellendo, tum in affectibus Soporosis, Paraliticis, Apoplepticis, &c. stimulando, revellendo, excitando, alias &, ubi requiritur, fluxum Hæmorrhoidum proritando, conductit. Ne memorem Recti proprios morbos, ulcera, fistulas, Hæmorrhoidum dolores, &c. quibus Glandes appropriatæ conferre possunt. Cavendum, ne stimulantibus frequentius adhibitis natura nimis adsuescat, aut Intestino-

num adrodatur: unde & hæc iis, quibus Rectum fissuris, ulceribus, tumore, dolore, fluxu Hæmorrhoidum, &c. laborat, minus adhibenda. Gravidis quoque Stimulus acrior quandoque Fœtum excutit.

529. SPECIMINA simpliciorum vide supra (518.), & H. Bærh. Mat. Med. p. 224. Compositorum hæc sunt.

* * *

Suppositorium Antihelminticum, nec-
ans, expellens Vermes.

Vid. H. Bærh. Mat. Med. p. 235.

R. Mell. cocti ad spissitudinem debitam
unc. iv.

Aldës. unc. 5.

Vitrioli Martis. drach. ij.

M. f. a. F. parva Suppositoria v. g. xij.
aut xiv pro Puer. Serxentur Oleo
demersa, ne deliquescant.

S. Applicantur post alvum exoneratam.

* * *

Suppositorium Acre, fortiter stimulans,
in Affectibus Soporosis, frigidis,
utile.

R. Mellis coct. indurat. unc. j.

Sal. Ammoniac. drach. 5.

Scammon. scrup. j.

Troch. Alband.

Rad. Ellebor. alb. pulver. ana scrup. 5.

Euphorbii. gran. ij.

M. F. s. a. Suppositoria No. ij. Oleo Castorei illinenda.

* * *

Glans ad Alvum sollicitandam, pro Adulto.

Rx. *Sal. commun.* drach. f.

Sapon. Venet. drach. j.

Mell. coctu inspissati. q. f.

M. F. Suppositorium, Oleo Absinth. infuso illinendum.

* * *

Suppositorium ad excitandum Hæmorrhoidum fluxum.

Rx. *Aloës pulveris.*

Sal. Gemm. ana scrup. j.

Pulp. Colocynth. gr. v.

Mellis. q. f.

Coctu redigantur in Suppositorium.

* * *

Nodulus Anodynus, ad Dolores ab Hæmorrhoidibus.

Rx. *Opii crudi.* scrup. f.

Croci pulveris. scrup. j.

Unguent. Popul. q. f.

Ut F. Pasta, quæ inclusa Sindoni, aut Cottone excepta, appenso filo, sit pro Suppositorio.


S. Immittatur Ano, filo foras propendente, & retrabatur post 1/2 horam.

De Pesso & Nascalli.

530. **P**ESSUS, *Pessarium*, *Talus*, *NASCAL*, *Penicillus*, sunt Suppositoria, Turundæ, vel Noduli, Uterini, Intestinalibus (516.) similes, qui sinui pudoris muliebri, scopo vario, immittuntur. Quum vero & rari hodie usus sint, & facile ex Capite præcedente intelligantur; non est, cur iis immoremur.

F I N I S.









W 23 H

